DE ORATIONIBUS

QUÆ SUNT

IN COMMENTARIIS CÆSARIS

DE BELLO GALLICO

THESIM PROPONEBAT

PARISIENSI LITTERARUM FACULTATI

PHILIPPUS FABIA

AVENIONE
APUD J. ROUMANILLE
BIBLIOPOLAM
Via dicta St-Agricol, 19

PARISIIS
APUD E. THORIN
BIBLIOPOLAM
Via dicta de Médicis, 7

1889

DE ORATIONIBUS

QUÆ SUNT

IN COMMENTARIIS CÆSARIS

DE BELLO GALLICO

AVENIONE, TYPIS FRATRUM SEGUIN

DE ORATIONIBUS

QUÆ SUNT

IN COMMENTARIIS CÆSARIS

DE BELLO GALLICO

THESIM PROPONEBAT

PARISIENSI LITTERARUM FACULTATI

PHILIPPUS FABIA

AVENIONE
APUD J. ROUMANILLE
BIBLIOPOLAM
Via dicta St-Agricol, 19

PARISIIS
APUD E. THORIN
BIBLIOPOLAM
Via dicta de Médicis, 7

1889

OPTIMO ET DOCTISSIMO VIRO,

MAGISTRO MEO,

MAX. BONNET,

IN FACULTATE LITTERARUM MONSPELIENSI PROFESSORI,

GRATI ANIMI ET REVERENTIÆ MONUMENTUM.

PROŒMIUM

Primum omnium, quæ causa sit cur hanc disserendi materiam elegerim, breviter exponam. Multi quidem doctissimique viri de rebus a Cæsare in Gallia gestis tam diligenter disputaverunt, tamque acrem locorum et hominum investigationem instituerunt atque perfecerunt; multi præterea omnia quibus perspici, vel saltem probabiliter conjici potest, quo tempore atque consilio, qua scientia rerum, diligentia, fide, *Commentarios de Bello Gallico* composuerit, tanta cura collegerunt; ut nihil aut certe pauca admodum eis invenienda reliquerint, qui post ipsos eamdem quæstionum, ut ita dicam, regionem ingressuri essent. De arte autem qua libri illi conscripti sunt, etsi haud spernenda prodierunt litteratorum virorum judicia, multum abest ut ii, qui jam fuerunt, cuncta præripuerint et nobis tanquam agrum ubi jam demessum est, tradiderint.

Præcipue de orationibus quæ in narratione interpositæ sunt, id jure contendere possumus. Namque ubi de illa consuetudine agitur, quæ antiquis rerum scriptoribus solennis fuit, ut orationes in historiis insererent, Thucydides, Sallustius, Livius,

Tacitus, multo magis quam Cæsar, mentes in se convertunt, quippe cum orationes illorum ejusmodi sint, quæ ex narratione emineant, velut gemmæ quædam, atque splendeant, hujus autem tantum non semper lateant in narratione et quodammodo dissimulatæ sint. Plerisque igitur satis est eas paucis verbis laudare, habita potissimum ratione contionum quas Cæsar apud milites fecit, quasque ii conferre solent cum præclari illius imperatoris pronuntiationibus, qui, avorum nostrorum memoria, Cæsarem militari laude et consiliorum magnitudine atque dominandi cupiditate æquavit, eloquentiæ alio prorsus genere floruit, nec tamen minus ad inflammandos militum suorum animos accommodato. Cum cetera litteratos perquam breviter et summatim adhuc attigisse constet, forma quidem excipienda est, qua fere omnes Cæsar orationes exhibuit quamque grammaticæ periti sermonem obliquum vocant : hujus regulas planissime declaraverunt, adeo ut mihi de ea re nihil esse dicendum judicaverim.

Itaque tribus in quæstionibus tota versabitur disputatio mea : primo ut investigem quatenus veritatem, id est, orationes revera habitas, exprimant orationes quæ sunt in *Commentariis de Bello Gallico;* deinde ut exponam quo consilio, cujus utilitatis spe, ad eas adhibendas adductus fuerit Cæsar; postremo ut demonstrem eas non indignas esse oratoria illa facultate, qua Cæsarem præditum fuisse scimus. Cur *Commentarios de Bello Civili* in hanc controversiam non vocarem, ea causa fuit, ne investigatio mea, cum latius vagaretur, minus attenta

esset. Præterea intellexi me nullo cum operis fructu tres hos libros septem reliquis conjuncturum: namque ea, quæ dicturus sum de orationum, quæ sunt in *Commentariis de Bello Gallico*, veritate, utilitate, arte, omnia in *Commentarios* quoque *de Bello Civili* conveniunt.

Ubicumque locos Cæsaris adscripsi, Kraneri editione usus sum (Berlin, Weidmann, 1886).

AVENIONE, TYPIS FRATRUM SEGUIN

DE ORATIONIBUS

QUÆ SUNT

IN COMMENTARIIS CÆSARIS

DE BELLO GALLICO

THESIM PROPONEBAT

PARISIENSI LITTERARUM FACULTATI

PHILIPPUS FABIA

AVENIONE
APUD J. ROUMANILLE
BIBLIOPOLAM
Via dicta St-Agricol, 19

PARISIIS
APUD E. THORIN
BIBLIOPOLAM
Via dicta de Médicis, 7

1889

Tacitus, multo magis quam Cæsar, mentes in se convertunt, quippe cum orationes illorum ejusmodi sint, quæ ex narratione emineant, velut gemmæ quædam, atque splendeant, hujus autem tantum non semper lateant in narratione et quodammodo dissimulatæ sint. Plerisque igitur satis est eas paucis verbis laudare, habita potissimum ratione contionum quas Cæsar apud milites fecit, quasque ii conferre solent cum præclari illius imperatoris pronuntiationibus, qui, avorum nostrorum memoria, Cæsarem militari laude et consiliorum magnitudine atque dominandi cupiditate æquavit, eloquentiæ alio prorsus genere floruit, nec tamen minus ad inflammandos militum suorum animos accommodato. Cum cetera litteratos perquam breviter et summatim adhuc attigisse constet, forma quidem excipienda est, qua fere omnes Cæsar orationes exhibuit quamque grammaticæ periti sermonem obliquum vocant : hujus regulas planissime declaraverunt, adeo ut mihi de ea re nihil esse dicendum judicaverim.

Itaque tribus in quæstionibus tota versabitur disputatio mea : primo ut investigem quatenus veritatem, id est, orationes revera habitas, exprimant orationes quæ sunt in *Commentariis de Bello Gallico;* deinde ut exponam quo consilio, cujus utilitatis spe, ad eas adhibendas adductus fuerit Cæsar; postremo ut demonstrem eas non indignas esse oratoria illa facultate, qua Cæsarem præditum fuisse scimus. Cur *Commentarios de Bello Civili* in hanc controversiam non vocarem, ea causa fuit, ne investigatio mea, cum latius vagaretur, minus attenta

OPTIMO ET DOCTISSIMO VIRO,

MAGISTRO MEO,

MAX. BONNET,

IN FACULTATE LITTERARUM MONSPELIENSI PROFESSORI,

GRATI ANIMI ET REVERENTIÆ MONUMENTUM.

PROŒMIUM

Primum omnium, quæ causa sit cur hanc disserendi materiam elegerim, breviter exponam. Multi quidem doctissimique viri de rebus a Cæsare in Gallia gestis tam diligenter disputaverunt, tamque acrem locorum et hominum investigationem instituerunt atque perfecerunt; multi præterea omnia quibus perspici, vel saltem probabiliter conjici potest, quo tempore atque consilio, qua scientia rerum, diligentia, fide, *Commentarios de Bello Gallico* composuerit, tanta cura collegerunt; ut nihil aut certe pauca admodum eis invenienda reliquerint, qui post ipsos eamdem quæstionum, ut ita dicam, regionem ingressuri essent. De arte autem qua libri illi conscripti sunt, etsi haud spernenda prodierunt litteratorum virorum judicia, multum abest ut ii, qui jam fuerunt, cuncta præripuerint et nobis tanquam agrum ubi jam demessum est, tradiderint.

Præcipue de orationibus quæ in narratione interpositæ sunt, id jure contendere possumus. Namque ubi de illa consuetudine agitur, quæ antiquis rerum scriptoribus solennis fuit, ut orationes in historiis insererent, Thucydides, Sallustius, Livius,

Tacitus, multo magis quam Cæsar, mentes in se convertunt, quippe cum orationes illorum ejusmodi sint, quæ ex narratione emineant, velut gemmæ quædam, atque splendeant, hujus autem tantum non semper lateant in narratione et quodammodo dissimulatæ sint. Plerisque igitur satis est eas paucis verbis laudare, habita potissimum ratione contionum quas Cæsar apud milites fecit, quasque ii conferre solent cum præclari illius imperatoris pronuntiationibus, qui, avorum nostrorum memoria, Cæsarem militari laude et consiliorum magnitudine atque dominandi cupiditate æquavit, eloquentiæ alio prorsus genere floruit, nec tamen minus ad inflammandos militum suorum animos accommodato. Cum cetera litteratos perquam breviter et summatim adhuc attigisse constet, forma quidem excipienda est, qua fere omnes Cæsar orationes exhibuit quamque grammaticæ periti sermonem obliquum vocant : hujus regulas planissime declaraverunt, adeo ut mihi de ea re nihil esse dicendum judicaverim.

Itaque tribus in quæstionibus tota versabitur disputatio mea : primo ut investigem quatenus veritatem, id est, orationes revera habitas, exprimant orationes quæ sunt in *Commentariis de Bello Gallico;* deinde ut exponam quo consilio, cujus utilitatis spe, ad eas adhibendas adductus fuerit Cæsar; postremo ut demonstrem eas non indignas esse oratoria illa facultate, qua Cæsarem præditum fuisse scimus. Cur *Commentarios de Bello Civili* in hanc controversiam non vocarem, ea causa fuit, ne investigatio mea, cum latius vagaretur, minus attenta

esset. Præterea intellexi me nullo cum operis fructu tres hos libros septem reliquis conjuncturum: namque ea, quæ dicturus sum de orationum, quæ sunt in *Commentariis de Bello Gallico*, veritate, utilitate, arte, omnia in *Commentarios* quoque *de Bello Civili* conveniunt.

Ubicumque locos Cæsaris adscripsi, Kraneri editione usus sum (Berlin, Weidmann, 1886).

OPTIMO ET DOCTISSIMO VIRO,

MAGISTRO MEO,

MAX. BONNET,

IN FACULTATE LITTERARUM MONSPELIENSI PROFESSORI,

GRATI ANIMI ET REVERENTIÆ MONUMENTUM.

PROŒMIUM

Primum omnium, quæ causa sit cur hanc disserendi materiam elegerim, breviter exponam. Multi quidem doctissimique viri de rebus a Cæsare in Gallia gestis tam diligenter disputaverunt, tamque acrem locorum et hominum investigationem instituerunt atque perfecerunt; multi præterea omnia quibus perspici, vel saltem probabiliter conjici potest, quo tempore atque consilio, qua scientia rerum, diligentia, fide, *Commentarios de Bello Gallico* composuerit, tanta cura collegerunt; ut nihil aut certe pauca admodum eis invenienda reliquerint, qui post ipsos eamdem quæstionum, ut ita dicam, regionem ingressuri essent. De arte autem qua libri illi conscripti sunt, etsi haud spernenda prodierunt litteratorum virorum judicia, multum abest ut ii, qui jam fuerunt, cuncta præripuerint et nobis tanquam agrum ubi jam demessum est, tradiderint.

Præcipue de orationibus quæ in narratione interpositæ sunt, id jure contendere possumus. Namque ubi de illa consuetudine agitur, quæ antiquis rerum scriptoribus solennis fuit, ut orationes in historiis insererent, Thucydides, Sallustius, Livius,

Tacitus, multo magis quam Cæsar, mentes in se convertunt, quippe cum orationes illorum ejusmodi sint, quæ ex narratione emineant, velut gemmæ quædam, atque splendeant, hujus autem tantum non semper lateant in narratione et quodammodo dissimulatæ sint. Plerisque igitur satis est eas paucis verbis laudare, habita potissimum ratione contionum quas Cæsar apud milites fecit, quasque ii conferre solent cum præclari illius imperatoris pronuntiationibus, qui, avorum nostrorum memoria, Cæsarem militari laude et consiliorum magnitudine atque dominandi cupiditate æquavit, eloquentiæ alio prorsus genere floruit, nec tamen minus ad inflammandos militum suorum animos accommodato. Cum cetera litteratos perquam breviter et summatim adhuc attigisse constet, forma quidem excipienda est, qua fere omnes Cæsar orationes exhibuit quamque grammaticæ periti sermonem obliquum vocant : hujus regulas planissime declaraverunt, adeo ut mihi de ea re nihil esse dicendum judicaverim.

Itaque tribus in quæstionibus tota versabitur disputatio mea : primo ut investigem quatenus veritatem, id est, orationes revera habitas, exprimant orationes quæ sunt in *Commentariis de Bello Gallico;* deinde ut exponam quo consilio, cujus utilitatis spe, ad eas adhibendas adductus fuerit Cæsar; postremo ut demonstrem eas non indignas esse oratoria illa facultate, qua Cæsarem præditum fuisse scimus. Cur *Commentarios de Bello Civili* in hanc controversiam non vocarem, ea causa fuit, ne investigatio mea, cum latius vagaretur, minus attenta

esset. Præterea intellexi me nullo cum operis fructu tres hos libros septem reliquis conjuncturum: namque ea, quæ dicturus sum de orationum, quæ sunt in *Commentariis de Bello Gallico*, veritate, utilitate, arte, omnia in *Commentarios* quoque *de Bello Civili* conveniunt.

Ubicumque locos Cæsaris adscripsi, Kraneri editione usus sum (Berlin, Weidmann, 1886).

PARS PRIMA

QUATENUS VERÆ SINT ORATIONES.

Nemini dubium est quin orationes multæ, cum a Cæsare, tum ab aliis vel suorum vel barbarorum, habitæ sint per eos annos, per quos provinciam Galliam pro consule obtinuit. Namque et ipsi persæpe allata est orationis necessitas, ut apud milites, et præcipue antequam prœlii signum daret, ex consuetudine ducum antiquorum contionaretur ; ut, convocato consilio, legatis tribunisque quid fieri vellet demonstraret; ut cum barbaris de condicionibus pacis aut de ceteris rebus ad suam eorumve utilitatem pertinentibus ageret. Et eis, quos copiarum parti præfectos ad bellum aliquod longius a se gerendum mittebat, eædem fere causæ verba faciendi fuerunt. Nec barbaris defuere occasiones ubi negotia dicendo conficerent : quippe qui haud raro Cæsarem legatosve ejus adierint, plerumque ut pacem aut auxilium peterent; haud raro inter se conjuraverint, ut civitates, consociatis viribus, Romanorum vim repellerent et patriæ libertatem retinerent vel restituerent. Itaque in bello Gallico non

omnia militum virtute et ducum peritia, multa facultate oratorum peracta esse manifestum est.

Est autem hoc apud Græcos Romanosque rerum scriptores in more positum, ut non solum ea, quæ gesta sunt, enarrent, sed etiam orationibus, si quando locus datur, narrationem distinguant. Quod principem ex omnibus fecisse Thucydidem falso quidam existimant. Reperiuntur enim orationes apud Herodotum etiam, patrem historiæ, ut ait Cicero [1]; neque Herodotus novum id atque inusitatum exemplum introducere ausus est; sed Homerum secutus est ducem, qui vitam ipsam illius ætatis et quotidianam hominum consuetudinem imitatus erat. Namque apud Græcos magnas jam tum eloquentia partes sustinebat; majores vero etiam temporibus Themistoclis et Periclis, adeo ut institutus ab epicis poetis mos Herodoti et Thucydidis historiis non repugnaret, immo aptissime accommodatus esset. Quem eodem jure, quoniam haudquaquam minorem apud populum Romanum oratores explevere vicem, scriptores rerum Romanarum tenuerunt, non recentiores solum, qui post Cæsarem mortuum scripserunt, quorum opera etiam nunc legere licet, Sallustium dico et Livium et Tacitum; sed etiam veteres, qui ante Cæsarem in historia versati sunt, quos, deperditis tantum non omnino eis, quæ ediderant, nomine magis quam operibus novimus [2]. Horum enim partem orationes in narrando adhibuisse constat: ut Cato major in posterioribus *Originum* libris contiones suas, C.

[1] Cic. *De Leg.*, I, 1. — [2] Cf. de omnibus his rerum scriptoribus H. Peter, *Historicorum Romanorum relliquiæ*, Lipsiæ, 1870.

Fannius, Cælius Antipater, Claudius Quadrigarius, Cornelius Sisenna, Licinius Macer, habitas ab aliis orationes in *Annalibus* suis exposuerant. Reliquos fere omnes idem fecisse res est per se non incredibilis. Cum ex eis quosdam, M. Æmilium Scaurum scilicet et P. Rutilium Rufum et Q. Lutatium Catulum et L. Cornelium Sullam, *Commentarios rerum suarum* composuisse sciamus, præcipue de horum genere ac ratione certam notionem et percipere velimus et non esse nobis promptam dolemus. Sullam tamen orationibus in narratione expositis non abstinuisse admodum probabile est, quoniam Plutarchus testatur ipsum res a se gestas non adstricte breviterque contraxisse, sed duobus et viginti libris explicavisse [1]. Minime igitur mirandum est Cæsarem, cum et res ipsæ, quas componebat, eum hortarentur, et exempla confirmarent, imprimis Catonis atque, si vere conjicimus, Sullæ quoque, animum induxisse ut orationes *Commentariis* suis *de Bello Gallico* insereret.

Quis vero credat quemquam ex omnibus vel Græcis vel Romanis rerum scriptoribus adeo constanter morem illum usurpavisse, ut, quotiescumque oratio habita fuerit, eam retulerit? Facile contra animadverti potest, si quis eorum opera perspicit, quam multas prætermiserint. Quod rationi maxime consentaneum est. Orationes enim in libris exposuerunt, non tam ut verissimam rerum gestarum vitæque humanæ imaginem exprimerent, quam ut præfinito cuidam consilio inservirent et

[1] Cf. Plut. *Sulla*, 37.

certam aliam utilitatem ex illis perciperet opus. Qua de re fusius disserendi mox erit locus. Quæ cum ita sint, illas tantum eos adhibuisse existimandum est, quæ ad propositum illud assequendum aliquid efficere posse viderentur. Quod ad Cæsarem, de quo loquimur, attinet, quanquam haud infrequens est earum, quas non neglexit, copia, magnum tamen numerum eum omisisse et ex ipsius verbis pluribus locis constat et, ubi ipse non indicavit, mentem non fugit illius, qui *Commentarios* attente perlegit.

Sæpe enim res a Cæsare narratæ ejusmodi sunt, ut necessarie demonstrent orationem habitam esse, quamvis id factum esse ille manifesto verbis non declaraverit. Fieri profecto non potuit quin Cæsar apud milites contionaretur ante eam pugnam, qua devictus est Ariovistus, cum et id esset ducibus antiquis consuetum ac quadam velut necessitate injunctum, ut magni momenti, quale hoc fuisse certum est, prœlium non committerent, nisi suorum virtutem verbis prius confirmavissent; et non semel se ipse testetur vel legatos tali tempore cohortationes adhibuisse, et præcipue antequam cum Helvetiis eodem anno decertaretur [1]. Nihil tamen omnino illa de contione retulit. Num arbitramur Belgas conjurationem, quam contra populum Romanum insequenti hieme, obsidibus inter civitates datis [2], fecerunt, sine legationibus orationibusque facere potuisse; aut, post adversum cum Cæsaris copiis ad flumen Axonam congressum, concilio convocato,

[1] I, 25, 1. — [2] II, 1, 1.

extemplo, nullo oratore audito, nulla sententia explicata, constituisse optimum esse domum suam quemque reverti et novum belli administrandi consilium probavisse [1]? Atqui Cæsar conjurationem factam, profectionem decretam narrat, orationes habitas esse ne uno quidem verbo memorat. Ne omnia ejusdem generis exempla, quæ multa sunt, persequar, mihi videor ostendisse Cæsarem orationes quasdam silentio omnino prætermittentem rebus ipsis, ut ita dicam, indicari.

Sæpe etiam orationem non quidem refert, sed tamen habitam esse et qua de re habita fuerit simpliciter docet. Neque enim, cum dicat se, priusquam adversus Helvetios pugnaretur, milites cohortatum esse, ea, quæ tum elocutus est, exponit *(Cæsar, cohortatus suos, prœlium commisit [2])*; neque quibus verbis Sabinus legatus, Gallis castra expugnare conantibus, suorum animos ad dimicandum auxerit *(Sabinus, suos hortatus, cupientibus signum dat [3])*; neque quo modo Crassus adulescens, in Aquitania belli gerendi causa missus, de præsenti periculo in consilio disseruerit, pridie quam cum hostibus pugnatum est *(Hac re ad consilium delata... [4])*; neque quibus idem cohortationibus milites ante hanc ipsam pugnam alacriores fecerit *(Cohortatus suos,... ad hostium castra contendit [5])*; neque quo genere orationis Vercingetorix clientes suos ad se convocatos incenderit *(Vercingetorix,.... convocatis suis clientibus, facile incendit [6])*; neque sententias adscripsit a Gallis dictas de exitu suarum

[1] II, 10, 4. — [2] I, 25, 1. — [3] III, 19, 2. — [4] III, 23, 8. — [5] III, 24, 5. — [6] VII, 4, 1.

fortunarum Alesiæ consultantibus, præter illam Critognati eximiam immanitate sententiam *(Ac variis dictis sententiis, quarum pars deditionem, pars, dum vires suppeterent, eruptionem censebant, non prætereunda oratio Critognati videtur....*[1] *)*. His omnibus locis multisque aliis, quos dinumerare longum sit, nihil amplius retulit Cæsar quam causam cur oratio habita fuerit, orationem præteriit.

Nunc ad eas venimus orationes, quas sibi non neglegendas esse judicavit. Quarum duo sunt genera. Unum genus est, ubi Cæsar orationem refert, non ita quidem, ut oratorem ipsum loquentem inducat, sed ut ipse ea, quæ alius quidam elocutus sit, obliquo, quem dicunt, sermone usus, narret. Ejusmodi sunt, ut ex plurimis paucas exempli gratia eligam, oratio Diviconis Helvetii de pace post priorem a suis acceptam cladem apud Cæsarem agentis [2]; item Cæsaris condiciones pacis ab illo propositas recusantis [3]; legatorum Aduatucorum ad Cæsarem oppidum civitatis hujus oppugnantem de pace missorum [4]; Germanorum, qui in Galliam transierant, a Cæsare per legationem petentium, ut sibi liceret in iis locis, quæ tenebant, remanere [5]; Ambiorigis Eburonis apud eos, quos ad ipsum miserat legatus Titurius, se amicum Romanis esse simulantis, ut cohortes ex hibernis in insidias alliceret [6]. Quam rationem verba alicujus referendi omnes, qui ante Cæsarem historiam scribendo egregiam laudem assecuti sunt, iniisse videmus, nedum Cæsar primus omnium invenerit; nec mirum : mi-

[1] VII, 77. 2. — [2] I, 13, 3 sqq. — [3] I, 14, 1 sqq. — [4] II, 31. 1 sqq. — [5] IV, 7, 2 sqq. — [6] V, 27, 2 sqq.

nime enim ea recondita erat, immo propalam, ut ita dicam, collocata; nec cogitatione et arte investiganda erat, sed quotidiana sermonis hominum consuetudine demonstrabatur. Id vero Cæsari proprium est ac peculiare, eo scribendi consilio frequentissime usum esse et orationes eo modo, non interdum, ut ceteri fecerunt, sed plerumque, vel potius tantum non semper, tradidisse. Cujus rei quæ fuerit causa postea perspiciemus. Adnotandum tamen est Tacitum hoc in genere propius ad Cæsarem quam quemlibet alium accedere. Sed quamvis copia talium orationum hujus magis quam ceterorum scripta conspicua sint, id eum inter et Cæsarem interest, quod multo majorem habet numerum orationum alio quodam modo traditarum, de quo jam dicemus.

Alterum enim genus est earum orationum, quæ non a rerum scriptore narrantur, sed a persona quadam habentur, quam ille loquentem inducit, cuique, dum ea loquitur, locum dat et cedit. Quæ apud ceteros vulgaris communisque occurrit ratio, apud Cæsarem admodum rara ; adeo ut in *Commentariis de Bello Gallico* septem omnino reperiantur ejus generis orationes [1]. Has enumerare et non longum erit et operæ pretium est. Ne unum quidem exemplum præbent quatuor priores libri, cum abundet præcipue primus orationibus. Unum quintus præbet, id est orationem Titurii Sabini legati in consilio de hibernis, invito collega Auruncu leio Cotta, relinquendis disserentis, eamque non

[1] Eadem ratione quorumdam præterea verba passim retulit Cæsar ; quæ breviora sunt, quam ut in orationum numero haberi possint ; cf. V, 44.

totam, sed postremam tantummodo ejus partem [1]. Duo sunt in sexto libro, quorum alterum est oratio a legato Labieno apud milites habita [2], cum in eo esset, ut adversus Treveros pugnarent; quæ brevissima est; alterum, quorumdam Gallorum captivorum Sugambris in Galliam transgressis suadentium, ut Aduatucam expugnent omnibusque Romani exercitus impedimentis hoc in oppido collocatis potiantur; quæ paucis quoque verbis continetur [3]. Quatuor, quæ reliqua sunt, septimus liber habet superatque hoc numero ceteram solus summam: ibi enim loquentes inducuntur primum Vercingetorix apud Gallos, ut proditionis a suis insimulatus se ipse defendat; hujus tamen orationis pars multo major narratur, finis tantum ejus generis est, de quo nunc nobis sermo est [4]; mox Litavicus Æduus, ut suis persuadeat, falsis in Romanos prolatis criminibus, transitionem ad Arvernos [5]; deinde M. Petronius centurio, ut, a multitudine hostium sub ipsis Gergoviæ muris oppressus, hortetur milites, ne, ipsorum salutis immemores, sibi jam vulneribus confosso consulant [6]; quarum orationum neutra longa est, cum Litavicus se adeo gravi dolore conturbatum videri velit, ut ea, quæ gesta esse simulat, pronuntiare non possit producatque eos, quos edocuit, qui illa multitudini exponant; neque Petronio inter tela hostium fuse disserendi facultas detur; denique inducitur [7] Critognatus Gallus barbaris in oppido Alesia oppugnatione inclusis atque inopia confectis eam vitæ

[1] 30, 1 sqq. — [2] 8, 4. — [3] 35, 8 sq. — [4] 20, 3 sqq. — [5] 38, 2 sqq. — [6] 50, 4 sqq. — [7] 77, 3 sqq.

tolerandæ viam ostendens, ut eorum corporibus, qui ætate ad bellum inutiles videntur, famem depellant; cujus contio et copia et arte eximia est. Perpaucas igitur ex universis eis, quæ habitæ erant ab aliis, nullam omnino ex suis orationibus Cæsar, oratoribus ipsis, ut ita dicam, exponendas concessit, plerumque in eorum locum se ipse narrando substituit.

De veritate illarum cujusque generis orationum quæstio jam nunc habenda est. Ac primum quidem nulla est causa cur suspicemur Cæsarem, quem constat orationes quibusdam locis omisisse, aliis quibusdam locis, ubi nulla habita esset, orationem inseruisse : nam ubicumque orationem in *Commentariis* legimus, ibi res ipsæ orationis necessitatem demonstrant. Id vero perspicere oportet, num ea, quæ unoquoque in tempore et ab unoquoque oratore revera dicta fuerunt, fideliter tradiderit, ita ut nihil vel reciderit, vel de suo adjecerit, vel omnino immutaverit. Quod ut plane cognoscamus, duæ res investigandæ sunt : primum, quatenus veritatem illam adipisci potuerit; deinde, num exprimere voluerit.

Consentiunt nunc demum viri historiæ litterarumque Romanarum periti [1] *Commentarios de Bello Gallico* Cæsarem, non in mediis rebus singulorum annorum singulos, sed omnes uno tenore scripsisse conjunctosque edidisse. Hanc opinionem pluribus argumentis confirmant. « Quod Hirtius in epistola ad Balbum dicit : « Ceteri enim quam bene et

[1] Cf. Nipperdey, in Cæs. edit., Lipsiæ, 1847, 3 sqq. et Kraner, in Cæs. edit.. Lipsiæ, Tauchnitz, 1861, XVI sqq.

« emendate, nos etiam quam facile et *celeriter* eos « perfecerit scimus », non de singulis libris, sed « de universo opere uno impetu scripto dictum « esse patet; nam ita tantum illa scribendi celeri- « tas conspicua et notabilis fuit. Deinde quod Asi- « nium Pollionem dixisse refert Sueton. *Cæs.*, 56, « Cæsarem multa memoria lapsum perperam edi- « disse, id, utut statuimus de isto judicio, cer- « tum est non potuisse dici, si Cæsar in ipsis rebus « *Commentariis* scribendis operam dedisset. Porro « Schneiderus mirum fuisse ait, si Cicero, cujus et « frater Quintus et amicus Trebatius apud Cæsa- « rem in Gallia erant, et per quos de omnibus Cæ- « saris rebus certior fiebat, nihil de *Commentariis* « inaudivisset, quos scribi vel scriptos esse fugere « eos non potuisset [1]. » Gravissimum vero argumentum illud est, quod Cæsar in libro primo rem commemoravit, quæ non ante bellum Vercingetorigis evenit [2], itemque in libro quarto [3] judicium de viro quodam fecit, quod ante idem bellum facere non potuit.

Quo tamen tempore *Commentarios de Bello Gallico* composuerit Cæsar, dubitatur, cum id neque antiqui scriptores tradiderint, neque ex ipsis libris certo declarare liceat. Manifestum quidem est eos ante annum U. C. 708 — A. C. 46, vulgatos esse, quoniam laudati sunt in libro [4] quem Cicero eo ipso ineunte

[1] Kraner, loc. cit., XVI. — [2] I, 28, 5 narratur concessum esse Æduis ut in suis finibus Boios collocarent, quos postea in parem juris libertatisque condicionem, atque ipsi erant, receperunt. Atqui initio belli Vercingetorigis etiam tunc stipendiarii Æduorum dicuntur (VII, 9, 6; 10, 1.) — [3] IV, 21, 7: « Commium.... quem sibi fidelem esse arbitrabatur (Cæsar). » Is temporibus belli Vercingetorigis defecit (Cf. VII, 76). — [4] Cf. 75, 262.

anno ad Brutum *De Claris Oratoribus* scripsit. Sed inde ab initio belli civilis Pompeiani usque ad eum annum Cæsar occupatus fuit rebus gerendis atque impeditus adeo, ut, quamvis testetur Hirtius *Commentarios* facile atque celeriter perfectos esse [1], non ei suppeteret otium ad eos scribendos. Annus enim 705-49 totus consumptus est primo in Italia recipienda, mox in bello adversus Afranium, Petreium, Varronem, Pompeianos duces, in Hispania profligando omnique illa regione subjicienda, postremo in rebus urbanis ordinandis. Anno 706-48 bellum adversus ipsum Pompeium gessit Cæsar, quod pugna apud Pharsalum d. IX. mens. Augusti confectum est; deinde, fine anni, res Alexandrinas, coortis in regia domo dissensionibus, componere frustra conatus, Ptolemæi regis bello usque ad mensem Julium insequentis anni retentus est in Ægypto; tum in Asiam contra Pharnacem, Bospori regem, profectus est; quo celerrime devicto, Romam mense septembri advenit et, paucis diebus in Urbe commoratus, quibus negotia plurima expedivit, in Africam abiit Pompeianarum copiarum reliquias oppressurus. Qua in re etiam tum occupatus erat, cum Cicero librum *De Claris Oratoribus* conscripsit. Otium igitur per ea tempora Cæsari minimum fuisse quis non videt? Hoc autem, si fuisset, in componenda historia belli civilis potius usus esset, quæ ipsi tum multo majoris momenti erat, quam belli Gallici. Atqui *Commentarios de Bello Civili* neque tum temporis, neque unquam, dum vixit, ad finem perduxit. Restat igitur

[1] De *B. G.*, VIII, 1, 6.

ut *Commentarios de Bello Gallico*, ut post bellum Vercingetorigis, ita ante initium belli civilis compositos editosque fuisse statuamus. Quæ sententia ideo magis probabilis est, quia illo maxime tempore res in Gallia præclare gestas conscribere atque vulgare aptum erat et conveniens Cæsaris utilitati : ortis enim in se gravissimis adversariorum conatibus, maximi ponderis causam habebat, cur res suas in clara luce proponeret.

Quorum inimicorum [1] in Cæsarem vixdum e consulatu egressum, quem anno 695-59 gesserat, malevolentia eruperat, præcipue relatione prætorum C. Memmii et L. Domitii de Cæsaris actis abrogandis, neque, quamvis tum nihil profecissent, ullo tempore quieverat. Vehementer iterum in senatu impugnavere virum anno 698-56, cum censuerunt utramque Galliam, contra legem Vatiniam, qua Cæsari provinciam in quinquennium decreta erat, consulibus anni 699-55 tribuendam in annum 700-54. Adversus eam sententiam Cicero orationem *de Provinciis Consularibus* fecit, victique hac etiam contentione fuerunt Cæsaris adversarii. Ne multa, non admodum formidandos impetus facile fregit Cæsaris potentia, donec stabile ac firmum permansit fœdus quod inter se Crassus et Pompeius cum ipso fecerant anno 694-60, quodque prioris triumviratus nomine designare solemus, « ne quid ageretur in republica, quod displicuisset uni e tribus [2]. » Cujus

[1] De omnibus his rebus cf., præter historias Romanas Mommsenii et aliorum, P. Guiraud, *Le différend entre César et le Sénat*, Paris, 1878, et *C. J. C. Comment. de B. C.*, erklaert von Fr. Kraner, Berlin, 1885, p. 1 sqq. — [2] Suet. *Cæs.*, 19.

societatis fructus Cæsar amplissimos cepit, primo consulatum, mox, rogatione Vatinii, tribuni plebis, Galliam citeriorem cum Illyrico et tribus legionibus in quinquennium ; quo facto, senatus etiam ulteriorem Galliam cum alia legione addidit, « ne si ipsi negassent, populus ei hanc daret [1]. » Quæ res anno 695-59 evenerunt. Mense aprili anni 698-56 Lucæ in colloquio triumvirorum renovatum fuit fœdus, quo effectum est ut Pompeius et Crassus in insequentem annum consules crearentur, Cæsari eorum consulum lege prorogaretur imperium [2]. Quin senatus ipse stipendium ex ærario eis legionibus, quas Cæsar injussu civitatis ultro conscripserat, decemque legatos decrevit. Sed anno 700-54 obiit Julia, Cæsaris filia, Pompeii uxor ; anno 701-53 Crassus in expeditione Parthica occisus est. « Crassi morte apud Parthos, morte Juliæ, « Cæsaris filiæ, quæ, nupta Pompeio, generi soce- « rique concordiam matrimonii fœdere contine- « bat, statim æmulatio erupit. Jam Pompeio sus- « pectæ Cæsaris opes et Cæsari Pompeiana digni- « tas gravis. Non ille ferebat parem, nec hic supe- « riorem [3]. » Dissolutio triumviratus vires animosque addidit Cæsaris inimicis. Invidia Cæsaris Pompeius ad senatum, senatus ad Pompeium metu Cæsaris se applicavit dediditque. Dumque Cæsar gravissimam totius Galliæ, duce Vercingetorige, rebellionem opprimebat, Romæ Pompeius, a senatu consul tertium sine collega dictus, leges Cæsaris incommo-

[1] Suet. *Cæs.*, 22. — [2] In quinquennium, si Mommsenii et Zumptii opinionem sequimur ; in triennium, ut arbitratur P. Guiraud, op. cit., 87, sqq. — [3] Florus, 4, 2.

dum spectantes ferebat. Neque tamen eo anno 702-52 virorum in civitate multo principum dissensio plane erupit. Namque privilegium omnium tribunorum consensu Cæsari concessum, ut absens alterum consulatum peteret, quod lege sustulerat Pompeius, mox, cum questus esset Cæsar, restituit. Anno demum 703-51 adversa pars in Cæsaris potentiam expugnandam atque evertendam summis viribus ruit. Namque M. Claudius Marcellus consul ad senatum retulit, ut Cæsar quam primum e provincia decedere cogeretur, neu absentis ejus ratio in consulatus petitione haberetur. Quæ res inertia optimatium et Pompeii cunctatione in insequentem annum rejecta est. Cum alter ex consulibus hujus anni (704-50, C. Claudius Marcellus, certamen in senatu de eripiendo Cæsari imperio redintegraret, intellegeretque Cæsar quanto cum sui periculo futurum foret, ut post discessum privatus, Pompeio etiamtunc imperium retinente [1], obnoxius esset summis inimicorum odiis ; Curionem sibi, tribunum plebis, devinxit, cujus artificio effectum est ut pars multo major senatorum censeret et Pompeio et Cæsari deponendum esse imperium. Tunc Marcellus et consules designati Pompeium jusserunt, qui ad Urbem cum legionibus erat, arma capere et novos milites conscribere. Frustra, litteris per Curionem ad senatum datis, quæ in senatu Kal. Jan. anni 705-49 recitatæ fuerunt, ne dissensio in bellum erumperet, conatus est Cæsar. Rejectis

[1] **Lege Trebonia anni 699-55 Hispania ei in quinquennium, ab anno 700-54, decreta erat cum proconsulari imperio et postea (702-52) senatus consulto in alterum quinquennium prorogata**

eis, quæ postulabat, die XII m. Jan. Rubiconem transiit.

Itaque per annos 703-51 et 704-50 is fuit Cæsaris rerum status, ut omni ope ad confirmandam potentiam dignitatemque suam niti eum oporteret. Quam ad rem haudquaquam spernendum auxilium præbitura profecto erat narratio belli Gallici. His igitur in annis *Commentariorum de Bello Gallico* compositionem a Cæsare susceptam esse contendere consentaneum est. Eo tantum dissentiunt viri doctissimi Schneiderus[1] et Nipperdeius, qui in ea disputatione diligentissime versati sunt, ut libros de quibus agimus, ille editos esse existimet initio anni 703-51, hic anno demum 704-50 scriptos esse arbitretur. Anno quidem 704-50, « pacata tota Gallia », ut ipsius Nipperdeii verbis utar, « cum neque quidquam se in Gallia gesturum videret, et summum otium nactus esset », ejusmodi operis conficiendi optimum tempus Cæsari fuisse non negamus. Fatendum est tamen eum per hiemem 702-703, quam in Belgio degit, et otium jam habuisse, quod satis esset viro mira scribendi facilitate prædito; et materiam, quoniam, confecto Vercingetorigis bello, omnem Galliam devictam judicare poterat atque ideo perfectam rem cujus causa provinciam illam expetiverat ; et rationem, cum eo tempore Romæ in ipsum acerrime inveherentur adversarii. Schneideri igitur sententiam nulla causa est cur rejiciamus; immo etiam eo mihi magis probatur, quod mihi videtur, si eam sequi-

[1] Cf. Kraner, loc. cit.

mur, melior ratio reddi posse, cur opus res extremis duobus annis in Gallia gestas non complectatur, quas vix credere possum Cæsarem Hirtio, vel nescio cui, tradendas relicturum fuisse, si tum in promptu habuisset, cum *Commentarios de Bello Gallico* scripsit. Sed utcumque se ea res habuit, Cæsari hos libros componenti facta narranda fuerunt dictaque referenda, quorum pleraque aliquot jam annis provenerant.

Quæ cum ita sint, nonne credendum est eum in scribendo quibusdam litterarum subsidiis adjutum esse[1]? Ephemerides quidem, id est commentarii diurni, ab iis, quos habemus, commentariis diversi, quibus quidquid quotidie memorabile actum esset, exposuisset, olim existimabantur fuisse ; nunc falsam esse illam opinionem declaratum est, quæ et per se ipsa parum probabilis est, neque ullo veterum gravi testimonio commendatur. Neque tamen Cæsar scriptis prorsus destitutus et memoriæ soli confisus ad operam se accinxit. Primum enim consentaneum est eum sibi servavisse effigiem epistolarum, quibus ad senatum fine anni cujusque de rebus a se gestis referebat ; aderant epistolæ a legatis ad imperatorem datæ de bellis aliisve negotiis longius ab illo patratis ; quæstoris rationes numerum captivorum, præfecti castrorum rationes mensuras itinerum præbebant ; multa ejusmodi alia, quæ memoria custodire per plures annos non potuisset Cæsar, ut montium vel fluminum altitudinem, non ipse quidem notaverat, sed per scribam

[1] Cf. de ea re Kraner, 20 sq. et Nipperdey, 5 sq.

aliquem notanda curaverat, quippe qui consuevisset, teste Plutarcho [1], puerum hujus artis peritum semper secum habere. Quibus omnibus scriptis præsidia ad *Commentarios* componendos idonea suppeditabantur, si modo memoria præditus erat, non singulari quidem, sed bona, quod de viro tantis ingenii virtutibus florente admodum credibile est. Orationes vero, quas ipse habuisset, vel quæ coram ipso habitæ essent, vel de quibus variis modis certior factus esset, statim jussu ejus scripturæ mandatas fuisse nemo, opinor, contendet. Quin etiam ea, quæ de orationibus notari jussit, si quæ fuerunt, certe paucissima fuerunt. Quare manifestum est Cæsarem in orationibus referendis maxime vel, ut verius dicam, solum memoriæ opibus atque auxilio usum esse.

Inspiciamus igitur utrum, memoria sola fretus, orationes, quales essent habitæ, referre potuerit, necne. Non eamdem fuisse omnium condicionem quis non videt? Optima enim fuit condicio earum orationum, quas ipse totas aliquando cognoverat. Quarum orationum quatuor erant genera: primum, earum, quas ipse habuerat; secundum, earum, quæ coram ipso habitæ fuerant; tertium, earum, quas legati dixerant a Cæsare cum mandatis, quæ perferrent, ad quemdam vel virum vel populum missi; quæ colloquendi ratio Cæsarem inter et Ariovistum, ut exemplo utar, non semel intercessit [2]; quartum, earum, quæ coram his legatis dictæ fuerant quasque ei ad Cæsarem statim retulerant,

[1] Cf. Plut. *Cæs.*, 17. — [2] Cf. I, 34, 1; 35, 1 sqq.; 42, 4.

ut sunt duæ ejusdem Ariovisti orationes [1]. Cæsari igitur, quotiescumque orationem ad unam vel aliam harum definitionum aptam exponendam suscepit, idem attulit memoria adjumentum atque ubi facta enarravit, quibus ipse interfuerat. Non equidem credere licet eam tam firmam fuisse, ut verba ipsa custodiisset et etiamtunc exprimere posset; de sententiis vero illud asseverare ne dubitemus, potuisse memoriam eas fere omnes, etiam nonnullis intermissis annis, repræsentare. Quamobrem, si Cæsar hujusmodi orationes, et præcipue prioris utriusque generis, quæ in *Commentariis* frequentissimæ occurrunt, recto, ut aiunt, sermone usus exposuisset, atque eo ipso, quod talem exponendi rationem adhibuisset, se non sententias tantum, verum etiam verba tradere quodammodo professus esset; negaremus profecto fieri potuisse, ut veritatem illam, quam præ se tulisset, adeptus esset. Sed ad unam omnes obliquo sermone exposuit. Quo adhibito rerum scriptor haud dubie demonstrat se in eam opinionem legentes adducere voluisse, ut existimaretur non omnia ea, quæ ab oratore quodam dicta fuissent, verbis eisdem reddidisse, immo nihil præter sensum et sententiarum ordinem servavisse. Itaque fatendum est Cæsarem in his omnibus orationibus referendis eum veritatis modum assequi, si voluerit, potuisse, qui cum ea, de qua nunc loquimur, ratione referendi congruens est.

Verumenimvero multo deterior fuit condicio

[1] I, 34, 2 sqq.; 36.

earum orationum, quæ multæ erant, quas summatim tantum cognoverat, cum neque ipse eas audivisset, nec certos copiososque de eis nuntios extemplo accepisset. Eum in numerum primo ascribendæ sunt orationes tum a legatis tum apud legatos habitæ, qui, illo absente, vel bella gesserunt, vel hibernis præfuerunt, vel quodlibet aliud diuturnum negotium confecerunt, velut Galba apud Nantuates, Varagros, Sedunos [1], Sabinus apud Venellos [2], Crassus apud Aquitanos [3], Q. Cicero apud Nervios [4], Labienus apud Treveros [5] et apud Parisios [6]. De quibus illi pauca certe, vel in epistolis ad imperatorem datis vel in narrationibus post reditum explicatis, retulerunt, cum de rebus multo magis quam de verbis Cæsarem ab eis certiorem fieri et deceret et interesset. Adnumeranda sunt præterea huic generi verba quibus M. Petronius centurio milites adhortatus est, ut saluti ipsorum, se omisso, consulerent [7]. Quæ quamvis ad Cæsarem paulo post relata fuerint, certe non ita omnino relata fuerunt, quem ad modum dicta fuerant : illa enim milites non ea mente audiverant, ut fideliter imperatori repræsentarent; quod fecisse contra manifestum est eas legationes, de quibus supra locuti sumus, cum non alio consilio ad Ariovistum missæ essent, nisi ut ad illum Cæsaris rursusque illius ad Cæsarem deferrent mandata. Alterum constat genus ex orationibus, quæ a barbaris apud barbaros habitæ fuerunt, de quibus Cæsar notiones quasdam, non ita certas atque amplas, per captivos

[1] III, 1 sqq. — [2] III, 17 sqq. — [3] III, 20 sqq. — [4] V, 39 sqq. — [5] V, 57 sq; VI, 7 sqq. — [6] VII, 57 sqq. — [7] VII, 50, 4 sqq

aut perfugas aut speculatores aut barbaros Romanis faventes, ceperat. Neutrius illorum generum orationes, veritate immutata, sive enarrare, seu, quod multo majus est, quales ab oratoribus ipsis habitæ essent, recto sermone exprimere poterat. Liquet enim, ut exemplum unum, idque maxime insigne, declarandæ rei causa afferam, orationem a Critognato in oppido Alesia dictam [1], nunquam ad Cæsarem totam pervenisse, neque illum de ea quicquam cognovisse præter sententiam atrocem, quam tunc argumentis confirmaverat Critognatus. Cetera igitur ipse invenit exornavitque, quæ signa eximiæ artis tam perspicua undique præbent, ut Cæsarem, peritissimum oratorem, magis quam Critognatum, barbarum incultumque hominem, redoleant; qua de arte nobis infra disserendum erit. Quamobrem videmus Cæsarem, cum orationem illam, tum reliquas ejusdem generis exponendo, adhibitis paucis illis, quibus instructus erat, notionibus, pleraque ex personarum atque temporum convenientia finxisse.

Ne tamen Cæsaris fidem nimium detrectare velle videamur, illud fateamur oportet, nullam esse ex omnibus orationibus, quas vel exposuit vel breviter attigit, quæ aliquam veritatis partem prorsus non possit habere. Nullam enim reperitur, de qua negare necesse sit Cæsarem notionem ejus aliquo modo percipere potuisse. Namque ut verba ab ipso dicta prætermittam et ea quoque, quæcumque ad illum manifesta atque evidenti vel cursim legentium

[1] VII, 77, 3.

animis via pervenerunt, id est verba sive coram ipso legatisque ipsius, sive a legatis dicta; de Orgetorigis orationibus apud cives ejus Helvetios [1], et apud Casticum Sequanum atque Dumnorigem Æduum [2], per captivos Helvetios [3] aliquid scire potuit, cum Helvetii et primam ipsi audivissent et de reliquis duabus per indicium certiores facti essent [4]; item de Helvetiorum ad Rauricos, Tulingos, Latovicos orationibus [5] cognovit; item de oratione legatorum Helvetiorum ad Dumnorigem [6]; item, ne longum faciam, in aliis bellis, per aliarum gentium captivos aut speculatores suos aut barbaros sibi amicos, de multis ejusdem generis orationibus [7]. Orationes autem, quæ in Eburonum finibus habitæ erant ea hieme, cum Ambiorix legatos Cottam et Sabinum eorumque milites fere omnes in insidias ex hibernis adductos interfecit, pauci illi, qui e manibus hostium evaserunt, inter cladis narrationem demonstraverant, primum Labieno legato, mox Cæsari ipsi : « Pauci ex prœlio elapsi incertis itineribus per silvas ad Titum Labienum legatum in hiberna perveniunt atque eum de rebus gestis certiorem faciunt [8]. » Eo enim in numero nonnullos fuisse tribunos militum vel centuriones primorum ordinum consentaneum est, qui et in consilio illo interfuerant, ubi legati egerunt de verbis ab Ambiorige apud C. Arpineium ac Q. Junium, quos ad eum

[1] I, 1 sq. — [2] 3, 4 sqq. — [3] Cf. 27 et 28. — [4] Cf. 382 : « Ea res est Helvetiis per indicium enuntiata. » — [5] 5, 4. — [6] 9, 2. — [7] Cf. IV, 34, 5 ; V, 6, 4 ; 55, 1 et 4 ; 56, 4 sq. ; VI, 35, 8 sq. ; VII, 1, 4 sq. ; 2, 1 sq. ; 4, 1 et 3 sqq. ; 14, 1 sqq. ; 15, 4 ; 20, 1 sq. et 3 sqq. ; 29, 1 sqq. ; 37, 2 sqq. ; 38, 1 sqq. ; 64, 1 sqq. et 8 ; 66, 3 sqq. ; 71, 2 sqq. ; 77, 2 sqq. ; 89, 1 sq. — [8] V, 37, 7.

miserant, factis[1]; quæ magnæ Sabinum inter et Cottam controversiæ causa fuit[2]; et supremum legatorum colloquium audiverant, in quo Sabinus Ambiorigis condiciones ad se per C. Pompeium interpretem delatas cum Cotta communicavit[3]; propterea que orationes, quæcumque erant habitæ per eos eventus, cognoverant.

Itaque eæ Cæsari scribenti suppetebant opes, ut in orationibus tradendis sæpe sententias omnes ad veritatem reddere posset, nunquam omnia fingere et pro alienis sua tantummodo exponere cogeretur. Contigit quidem aliquando veteribus rerum scriptoribus, ut præsidiis etiam firmioribus instructi ad illud opus accederent, id est, ut orationes litteris, quales habitæ fuerant, mandatæ in manibus eorum versarentur. Etenim, ut exempla nonnulla adhibeam, minime incredibile est Thucydidem, quem scimus summa diligentia conquisivisse omnia, quæ ad pernoscendum bellum Peloponnesiacum aliquid valerent, epistolam inspexisse, quam Nicias in obsidione Syracusarum occupatus ad Athenienses de rerum statu miserat[4]; quæ si modo non fuit ipsa Thucydidis oculis, postquam Athenas redierat, subjecta, id saltem ille assequi valuit, ut hujus imitationem librarii alicujus manu expressam sibi pararet. Fieri autem non potuit, quin Livius, ubi ad tempora Catonis Censorii res Romanas enarrando pervenit, clarissimi illius viri orationes, quas inseruerat ipse in *Originibus* suis, legeret. Tum Sallustius orationes a Cæsare et Catone, cui postea

[1] 27, 2. — [2] 28, 2 sqq. — [3] 36. — [4] Thuc. VII, 11 sqq.

Uticensi cognomen fuit, de Catilinæ sociorum supplicio apud senatum habitas[1] facile invenit unde pernosceret, quoniam eo die Cicero consul disposuerat in curia quosdam ex scribis illis, qui expeditissimo scripturæ cursu loquentium quamvis magnam velocitatem consequuntur[2]. Denique Tacito orationem, quæ a Claudio imperatore dicta est in senatu, ut Galliæ Comatæ primores, civitatem Romanam pridem assecuti, jus adipiscendorum honorum impetrarent[3], in manibus fuisse et veri simillimum est, cum sciamus certo eam scripturæ mandatam fuisse, et manifestum fit ex comparatione orationis, quam Claudio affinxit Tacitus, cum fragmentis orationis revera habitæ, quæ etiamnunc Lugduni tabulis æneis incisa exstant. Sed tantum abest, ut illi rerum scriptores ceterique eorumdem temporum tali cum fortuna constanter fuerint, ut contra sæpe nihil aliud nisi res cognoverint, quibus ex rebus orationes constitissent, sæpe ne id quidem compertum habuerint. Habemus luculentam Thucydidis confessionem : Καὶ ὅσα μὲν λόγῳ εἶπον ἕκαστοι, ἢ μέλλοντες πολεμήσειν ἢ ἐν αὐτῷ ἤδη ὄντες, χαλεπὸν τὴν ἀκρίβειαν αὐτὴν τῶν λεχθέντων διαμνημονεῦσαι ἦν ἐμοί τε ὧν αὐτὸς ἤκουσα καὶ τοῖς ἄλλοθέν ποθεν ἐμοὶ ἀπαγγέλλουσι[4]. Quis vero credat aut Sallustium orationes, ut exemplis utar, a Catilina Romæ apud conjuratos et, antequam pugnam committeret, apud exercitum dictas[5], aut Tacitum orationes quæ per legionum seditiones[6] in Pannonia vel in Germania dictæ fuerunt, usque ad verborum veritatem reddere potuisse ? Quid autem aliud effi-

[1] *Catil.* 51 sq. — [2] Cf. Plut. *Cat. min.* 23. — [3] *Ann. XI*, 24. — [4] Thuc. I, 22. — [5] *Catil.* 20 et 58. — [6] *Ann.* I, 16 sqq.

cere potuit Livius, quam ut orationes a Romulo ceterisque regibus atque illius ætatis hominibus habitas ex conjectura componeret ? At Cæsar, ut nunquam scriptis orationibus, quas, si vellet, fideliter repræsentare posset, munitus fuit, ita nunquam ad illam præsidiorum inopiam dejectus est, tenuitque sortem, non optimam quidem, sed optimæ proximam, cujus participes habendi sunt potissimum ii, quicumque res a se gestas ipsi enarraverunt, et præcipue Xenophon ob libros de Cyri expeditione.

Superest altera quæstionis pars, scilicet ut declaremus num Cæsar eam veritatem orationum, quam memoria custodiebat quamque ideo exprimere poterat, revera expresserit. Si quidem rationem earum tantum haberemus orationum, quarum sententias omnes Cæsarem cognovisse demonstravimus, nullum esset nobis in promptu certum evidensque argumentum, quo fidem ejus impugnaremus. Nihil enim illis in orationibus occurrit ejusmodi, ut negandum sit hoc dictum fuisse, ne ea quidem Ariovisti affirmatio apud Cæsarem in colloquio asseverantis[1]: « Quod si eum interfecerit, multis « sese nobilibus principibusque populi Romani « gratum esse facturum; id se ab ipsis per eorum « nuntios compertum habere; quorum omnium « gratiam atque amicitiam ejus morte redimere « posset; » quippe cum sciamus et Ariovisto, utpote qui in consulatu Cæsaris rex atque amicus a senatu appellatus esset[2], accepissetque amplissima

[1] I, 44, 12. — [2] I, 35, 2.

munera[1], quamdam fuisse cum primoribus Romæ conjunctionem, et Cæsaris inimicos tanta in eum illo tempore invidia exarsisse, ut credibile sit nullam eos non inivisse rationem, qua hominem se sublaturos esse sperarent.

Sed quamvis abesset evidentia, suspicionem tamen haberemus veritatem orationum ab eo aliquando immutatam esse. Primum enim manifesto arguitur rerum gestarum veritatem non ubique integram tradidisse[2]. Etsi concedendum est severius de Cæsare judicium illud fecisse Asinium Pollionem, quod refert Suetonius[3]: « Parum diligenter parumque integra veritate compositos (*Commentarios*) putat, cum Cæsar pleraque, et quæ per alios erant gesta, temere crediderit, et quæ per se, vel consulto vel etiam memoria lapsus, perperam ediderit... », præsertim ubi id ad *Commentarios de Bello Gallico* attinet judicium; neque credendum est Cæsarem ea fuisse animi humilitate eaque simulatione, vel, ut melius dicam, stultitia, ut in plerisque rebus de industria a vero recesserit; sunt nihilominus narrationes nonnullæ, ubi eum in fraude veritatisque corruptione deprehendimus, cum res, vel quæ vituperandæ essent, vel quæ parum feliciter gestæ, singulari arte tegat atque obscuret: ut est illa de adverso ad Gergoviam prœlio narratio[4]. Quis autem non suspicetur eum, quem constat rerum veritatem nonnunquam corrupisse, orationum quoque veritati vim intulisse, præsertim cum

[1] I, 43, 4. — [2] Cf. de Caes. fide in bello Gall. enarrando Kraner, XXI sq. — [3] *Cæs.* 56. — [4] VII, 43, sqq.

eum præterire non posset quam difficile futurum esset legentibus istiusmodi fraudem detegere?

Auget illud præterea et confirmat suspicionem his jam causis valentem, quod de ratione novimus, quam veteres rerum scriptores in referendis orationibus vulgo adhibuerunt. Quos ne ibi quidem, ubi facultas oblata fuit, orationes, quales habitæ fuissent, expressisse manifestum est. Cujus rei insigne documentum præbet comparatio, de qua mentionem supra fecimus, orationis a Claudio imperatore revera habitæ cum oratione quam ei affinxit Tacitus. Quamvis enim ea inter utramque similitudo intercedat, ut haudquaquam dubitari queat hanc ex illius exemplo compositam esse, dissimiles tamen eo maxime sunt, quod Tacitus ineptias sustulit atque luxuriantes, ut ita dicam, frondes repressit et eximiam illam brevitatem suam pro effusis Claudii explicationibus præstitit. Eumdem ceteros morem usurpavisse apparet, cum ex aliis causis, tum e dicendi genere, quod personis gente ac tempore diversis fere idem attribuerunt, ut non ipsæ loqui videantur, sed pro ipsis scriptor. Quod quam ob rem fecerint non obscurum est. Primum, cum essent pulchritudinis amantiores quam veritatis, animum attenderunt ut unus esset operis color, neve, occurrentibus passim multiplicis stili locis, quibusdam discrepantiarum quasi maculis conspergeretur; deinde operam dederunt, ut adhibitis mutationibus orationes proposito melius inservirent, cujus propositi gratia inserebantur. Denique, cum orationes revera dictas plerumque in manibus non haberent atque nunc verba, nunc

etiam sententias fingere cogerentur, simulationis consuetudinem afferebat illa sæpissime injuncta necessitas, suadebatque ut rarissimas veritatis exprimendæ occasiones neglegerent. Itaque si forte eveniebat ut, quæ dicta essent a quodam oratore, pernoscerent, in hac oratione exponenda eadem fere fingendi licentia utebantur atque in ceteris, de quibus pauca vel etiam nihil noverant. Illa enim existimabant auxilium esse, quo in scribendi labore adjuvarentur, magis quam exemplar cujus verissimam effigiem repræsentare deberent; curabantque semper ut oratio quam cuilibet personæ affingebant, talis esset, non qualis revera fuisset, sed qualis esse debuisse ipsis videretur. Quam componendi rationem se inivisse fatetur his verbis, quæ locum supra allatum excipiunt[1], Thucydides, gravissimus 'scriptor : « Ὡς δ'ἂν ἐδόκουν ἐμοὶ ἕκαστοι περὶ τῶν ἀεὶ παρόντων τὰ δέοντα μάλιστ' εἰπεῖν, ἐχομένῳ ὅτι ἐγγύτατα τῆς ξυμπάσης γνώμης τῶν ἀληθῶς λεχθέντων, οὕτως εἴρηται » ; neque tamen ea est integra confessio : nam videtur ille longius etiam processisse fingendo atque notionibus, quas de unaquaque oratione comparaverat, multo majori cum libertate usum esse.

Habebat igitur Cæsar mentiendi in orationibus auctores ; eosque non solum apud Græcos reperiebat, verum etiam apud Romanos rerum scriptores. Nam, ut nihil de ceteris dicam, cum Cælium Antipatrum in *Annalibus* suis loquentes induxisse constet, non Romanos modo, sed quoque Pœnos inter se[2], ipsum eas orationes commentum esse vix quisquam

[1] Thuc. I, 22. — [2] Cf. H. Peter, *Hist. rom. rell.* CCXVIIII.

negabit. Quam auctoritatem, si modo auctoritate ulla viro præstantissimi ingenii opus erat, id ipsum consilium hortabatur eum ut sequeretur, quo consilio ad belli Gallici res componendas impulsus erat, nempe non tam ut meram veritatem posteris traderet, quam ut gloriæ suæ faveret facta sua in clara luce collocando ; qua de re nunc in eo est, ut disputemus. Eamdem profecto rationem inivit ac priores rerum scriptores in componendis unius generis orationibus, eas dico, de quibus exiguam atque incertam notionem acceperat; quam propriis ipse additamentis sæpius auxit et dilatavit, nedum in ea se contineret; inspiciat potissimum, si quis luculente cognoscere vult, quanta fuerit hæc fingendi licentia, tum orationes, quæ in libro septimo Vercingetorigi attributæ sunt, tum maxime illam Critognati orationem, quam exempli gratia jam supra memoravimus. Quæ res ceteris argumentis tantum roboris adjicit, ut persuasum nobis sit Cæsarem eodem modo eademque libertate alterius quoque generis orationes conscripsisse, eas scilicet, quarum sententias omnes cognoverat, neque ea facultate constanter usum esse, quæ sæpenumero fuit, veritatem orationum tradendi exceptis solum modo verbis. Itaque admodum credibile est, ne dicam omnino certum, Cæsarem multis in orationibus non ea retulisse, quæ meminerat, sed ea quæ cum proposito suo optime convenire intellegebat; non ea, quæ dicta fuerant, sed ea quæ volebat existimari dicta fuisse.

PARS ALTERA

QUO CONSILIO
CÆSAR ORATIONES ADHIBUERIT.

Quoniam de orationum veritate hactenus disseruimus, nunc pergimus ad earum utilitatem investigandam. Quam quæstionem cum illa, in qua versata est adhuc disputatio nostra, arctissime conjunctam esse jam vidimus. Ut vero declarare possimus, quo consilio Cæsar in *Commentariis de Bello Gallico* orationes, vel totas vel breviter conclusas, inseruerit, necesse est perspiciamus prius quid sibi voluerit[1] hos libros scribendo evulgandoque. Manifestum enim est ex totius operis proposito singularum ejus partium, ac præcipue orationum, pependisse rationem.

Id consilium quale fuerit, nusquam ipse exposuit; neque enim alicubi *Commentariorum* de ea re unum verbum fecit, neque præfationem operi suo, velut plerique rerum scriptores, præmisit. Cujus silentii causa hæc fuit, quia Cæsar neque veram mentem suam aperire poterat, ut mox intellegemus, neque

[1] Cf. de ea re Kraner, *C. J. C. Comm.*, (Tauchnitz, 1861), XIV et XXIII sq.

existimabat eam mendacio aliquo tegere tam callidum esse, quam de ea omnino tacere. Paucos autem admodum reperiri posse arbitror, qui credant Cæsarem nihil amplius spectavisse, quam quod definivit Cicero in libro, quem ad Brutum *de Claris Oratoribus* scripsit[1] : « ...... voluit alios habere parata, unde sumerent, qui vellent scribere historiam.... » Cui sententiæ hæc simillima est, quam protulit Hirtius, vel si quis alius præfationem *Commentarii Octavi* ad Balbum scripsit : « Qui (*Commentarii*) sunt editi, ne scientia tantarum rerum scriptoribus deesset. » Comprobanda fortasse essent ejusmodi judicia, si de Xenophontis *Expeditione* facta essent ; qui profecto nihil aliud in animum induxit, nisi ut eorum, quæ gesta erant, veritatem, cum digna ei viderentur quæ cognoscerentur a posteris, simpliciter enarrando conservaret. Illud autem de Cæsaris *Commentariis* minime credet, quicumque ingenium hominis et vitam noverit ; ne ipsi quidem, quorum locos attulimus, Cicero et Hirtius crediderunt ; sed quæ de vero Cæsaris consilio vel suspicabantur vel certo sciebant, ea dissimulaverunt, hic, ut Cæsaris silentium, in cujus partibus fuerat, eisdem causis permotus imitaretur, ille, ne viro tum, cum scriptus fuit liber *de Claris Oratoribus* ad Brutum, in civitate longe principi ac tantum non regi displiceret, offensionemque exciperet, si cogitationem propalam explicavisset, quam ille non divulgandam sensisset. Intellegebant igitur uterque eorum Cæsarem graviorem quamdam utilitatem assequi voluisse, eam-

[1] 75, 262.

que non in posterum, sed statim apud æquales civesque suos. Neque vero existimandus est ea mente *Commentarios* composuisse, ut litterarum monumentum erigeret sibique famam eximii rerum scriptoris compararet. Conspicuus quidem omni tempore fuit studio, quo ad quodvis litterarum genus ferebatur, atque diligentia, quam in eis colendis ponebat; sed eis operam dedit sive voluptatis, sive cujusdam utilitatis causa, neque unquam ut inter summos scriptores locus sibi daretur. Conscripsit *de Analogia* libros [1], quos ad Ciceronem misit, ut, in transitu Alpium, tædia itineris levaret animoque gratam occupationem suppeditaret. Naturalem dicendi facultatem cultura auxit et expolivit, ut tanto illo adjumento uteretur ad honores adipiscendos dignitatemque suam amplificandam. Edidit *Anticatones* duos, ut virum illum inimicissimum sibi atque acerrimum, dum vixit, adversarium, post mortem summis a Cicerone laudibus ornatum, splendida illa quasi veste spoliaret, quia plane intellegebat ejusmodi laudationes in sui ipsius accusationem abire. *Commentarii* quoque huic generi scriptorum adnumerandi sunt, ex quibus utilitatem quamdam in præsens, non apud posteros bene scribendi gloriam, sperabat. « Si ei contigit, « ut omnibus temporibus in summis numeraretur « rerum scriptoribus, nactus est, quam neque quæ- « sivit neque sperare potuit, famam, si quidem « recte de consilio, quo scripti sunt *Commentarii*, « judicamus. Vere enim dictum est, si ad rerum

[1] Cf. de his omnibus Cæsaris libris Kraner, ibid., VIII sqq.

« gestarum gloriam hanc etiam addere voluisset, « ut earumdem rerum scriptoris illustri nomine « apud posteros floreret, si posteritati scribere doc- « tisque hominibus ornato artis opere probari cu- « pivisset, aliter eum scripturum fuisse..... Histo- « riam, quæ vere appellari potest, nec scripsit, nec « voluit scribere [1]. » Hanc bene scribendi laudis neglegentiam, cum titulus, quem Cæsar libris præposuit (namque optimi latinitatis auctores non veras justasque historias nomine *Commentariorum* designant, sed breves rerum gestarum narrationes, quæ scriptoribus materiam historiæ præbere possint) [2], tum maxime genus ipsum narrationis atque stili demonstrat, illa scilicet egestas ornamentorum et quasi nuditas, quæ quidem jucunditatis plena est quamque præclare laudavit Cicero [3] : « Nudi enim sunt, recti et venusti, omni ornatu orationis tamquam veste detracta. » Quod genus scribendi, ut justæ historiæ nimis siccum atque exile fuisset, ita optime ad eam cogitationem accommodatum erat, qua Cæsar adductus est ad res suas componendas atque divulgandas.

Quem ad finem Cæsar totam vitæ rationem, facta omnia omnesque cogitationes direxerit, manifestum est : principatum enim civitatis assequi voluit summumque imperium, non in tempus, velut dictatores, sed perpetuo, velut reges, obtinere, fuitque semper regio, non civili animo ac voluntate. Ut ad illud potestatis fastigium perveniret, sibi necesse esse intellegebat populum Romanum maximo erga

[1] Ibid., XIV, sq. — [2] Ibid., XVI. — [3] *Brut.* 75, 262.

se amore atque admiratione afficere. Omnibus itaque rebus operam dedit, ut civium mentibus quam optimam sui ipsius opinionem injiceret atque institueret. Quæ fuit causa cur post consulatum, cum magno jam favore populi vigebat, Galliam provinciam expeteret. Sperabat enim fore ut illa occasiones suppeditaret, ubi militarem Pompeii gloriam, qua is etiamtum præstabat ceteris omnibus, adæquaret vel etiam superaret. Neque sua eum spes fefellit. Ubi vero senserunt inimici, qui læti discessu ejus fuerant, multo majore cum libertatis periculo eum in Gallia quam in Urbe versari, nihil reliqui fecerunt primo ut, adversis de bellis atque administratione provinciæ emissis rumoribus, existimatio auctoritasque ejus imminueretur, deinde ut etiam imperium, quod in quinquennium habuerat eique in certum tempus prorogatum erat, eriperetur. Exorta est igitur Cæsarem inter et adversarios contentio ac quasi lis quædam, cujus judicium penes populum Romanum erat, in qua ille rei, hi accusatorum partes agebant. Quam maximi momenti litem ut obtineret, optimum causæ patronum se ipse duxit, optimam defensionem explicationem a se compositam earum rerum, quas gessisset. Quapropter scripsit *Commentarios de Bello Gallico,* quibus et inimicorum maledicta refutaret et bonam sui existimationem confirmaret atque augeret. Id fuisse Cæsaris consilium declarat tempus ipsum, quo libros illos conscripsit et edidit. Quæ cum ita sint, non difficile est intellegere cur de proposito suo nihil dicendum esse judicarit : viro enim haud imperito satius esse visum est reum se atque suæ

causæ oratorem non prædicare, quæ condicio necessario affert nescio quid humilitatis, et aliquam simulationis suspicionem movet. Neque obscurum jam nunc nobis est, cur simplex nudumque scribendi genus adhibuerit Cæsar, cui præsto sane erat ornatior atque exquisitior stilus : non enim id spectabat, ut ingenium suum et doctrinam peritis litterarum hominibus probaret, sed ut omnibus civibus res a se gestas ; quam ad rem maxime accommodata erat aperta et luculenta narratio, qualem exhibuit sagacissimus ille optimæ opportunitatis æstimator.

Quicumque hoc Cæsaris consilium perviderit, nullo modo sibi persuadere poterit, eum orationes in *Commentariis* ea mente inseruisse, ut narrationi ornamento essent et oratoriam ipsius facultatem legentibus ostenderent : quod plerosque veteres rerum scriptores fecisse confitendum est, quamvis graviorem quamdam ex orationibus ceperint utilitatem. Ut enim concedamus Thucydidem illi ingenii ostentationi et munditiarum amori minus indulsisse, quis neget manifesta in Sallustii, Livii, Taciti operibus ejusmodi curæ ac studii vestigia apparere? Quod idem si voluisset Cæsar, profecto non illam adhibuisset tantum non semper orationis formam, quam grammatici obliquam vocant, quæque cum ornandi narrationem oratoriasque virtutes ostentandi consilio minime convenit ; oratores ipsos crebrius induxisset loquentes orationesque fusius explicuisset. Una tamen excipienda videtur, cujus speciosam perfectionem jam mirati sumus, orationem illam Critognati dico, quæ eximia, atque

etiam nimia, si quidem oratoris personam respicimus, arte conscripta est. Sed in eam vituperationem semel Cæsar incidit : quoties illi, quos supra nominavimus? Ea igitur in *Commentariis de Bello Gallico* sola est orationum utilitas, ut proposito illi, quod definivimus, callidissime inserviant, id est, ut crimina in Cæsarem ab adversariis conjecta deleant ejusque laudes in clarà luce proponant, res et personas ea specie induendo, qua intererat Cæsaris eas ante legentium animos indutas procedere, ut quam optimam de ipso facèrent opinionem.

Namque ad hujusmodi effectus gignendos plurimum valere orationes narrationi interpositas neminem fugit. Non enim solum factorum suorum expositione sese, qualis videri vult, resque a se gestas pingere potest præclarus vir aliquis, sed etiam dictorum, tum suorum, quæ virtutes, ut ita dicam, redoleant, quibus ornatus revera est vel quas inesse animo mentique suæ simulat; tum aliorum, quæ testentur qualem existimationem sui amicis atque inimicis injecerit. Suppeditant quoque orationes locum ubi mores atque ingenium effingat hominum, vel qui secum steterunt, vel qui contra se contenderunt ; quæ res magno usui est, ut inter omnes se eminere atque excellere, quamvis non dicat, ostendat. Quas effigies sui et aliorum eo liberius secundum propositum suum in orationibus adumbrare potest, quo magis apta est, quam narrationes, ea pars materiæ, quæ ad scriptoris arbitrium conformetur : multo enim sunt faciliores verborum, quam rerum, sine legentium offensione, in historia additiones, prætermissiones, immutatio-

nes, quippe cum res vestigia sui diuturniora plerumque faciant, quam verba. Præterea orationes illæ, quamvis majorem scriptori præbuerint mentiendi facultatem, quadam tamen quasi fraude legentium animos decipiunt et majorem præ se ferunt, quam narrationes, veritatis speciem. Cujus erroris ea causa est, quia in medias res deducimur, adsumus, prodeunt personæ, ipsæ de rebus eventibusque, de suis ceterorumque moribus nos edocent. Eodem tunc fere modo afficiuntur animi nostri, atque ubi in theatro fabulam spectamus. Quem ad modum enim in fabula falsæ fictæque res veris similiores sunt, quam in epico poemate, ita orationi majorem, quam narrationi, fidem adjungunt non ii quidem, qui attente cogitant, sed ii saltem, qui cursim legunt historias, quales plerique sunt homines. Denique illud ex orationibus commodum percipitur, ut absit jactationis ostentationisque suspicio, exsistat pudoris atque verecundiæ opinio, cum ille, qui de rebus a se gestis scripsit, non digressus sit a narratione rerum, ut de virtutibus suis dissereret, neque in sua laude manifesto sese effuderit, sed ea, quæ dicta sint, nullius rei præter veritatem studiosus, retulisse videatur.

Minime quidem mirandum est Cæsarem, qua fuit hominum peritia, probe intellexisse quantum utilitatis ex orationibus in narratione interpositis consequi posset, neque id auxilium neglexisse. Illud autem consilium, quod supra descripsimus, nempe ut inimicorum crimina de belli atque provinciæ administratione deleret et eam suorum atque hostium morum effigiem depingeret, quæ cum suis

commodis cogitationibusque maxime conveniret, ei in adhibendis orationibus fuisse in controversiam vocari non potest. Quis enim non animadvertit orationes neque eadem frequentia, neque amplitudine eadem occurrere in omnibus *Commentariorum* partibus? Præstant orationum numero atque explicatione eæ adeo narrationes, vel ubi difficilior erat Cæsari accusationum refutatio, vel ex quibus maximum fructum se percepturum ad augendam gloriam suam existimabat. Ne singulas narrationes persequar, copia et ubertate orationum libri primus et septimus inter omnes conspicui sunt. Cujus rei causa præsto est. Primus enim liber ex illo, septimus ex hoc narrationum generibus, quæ modo definivimus, constat. Ut Helvetios per Sequanorum regionem iter jamjam facturos prohiberet, utque Ariovistum Gallos opprimentem trans Rhenum cum Germanis abire cogeret, primo statim imperii anno, quamvis ad res ejusmodi gerendas imperium non accepisset, tenereturque ea lege, quam ipse consul tulerat, ne proconsules cum exercitu ex provinciis excederent et vicinorum populorum rebus se immiscerent[1], adductus est ut provinciæ fines transgrederetur et legiones injussu senatus auctas in liberam Galliam intromitteret. Quæ fons atque origo fuit omnium, quæ insecuta sunt, bellorum. Etenim Galli, postquam intellexerunt, introductis in ipsorum fines Cæsaris legionibus neque reductis in provinciam post devictos Helvetios atque Ariovistum, sed constitutis in libera Gallia Romanorum

[1] Cf. Cic., *pro domo*, 9; *in Pisonem*, 16.

hibernis, quanta calamitas patriæ suæ libertati impenderet; nunc hi, nunc illi, postremo universi arma ceperunt, ut eam prohiberent hostiumque exercitum et dominationem delerent vel exturbarent. Itaque perpetuitas omnis ceterorum bellorum ex primi anni bellis causam initiumque duxit. Quamobrem permagni erat Cæsari momenti comprobare se necessitate quadam impulsum esse ut provinciæ jurisque sui fines excederet, neque bellum Helvetiis et Ariovisto revera intulisse, sed quodammodo defendisse; quippe qui, non invitis ipsis Galliæ civitatibus, et præcipue Æduis, populi Romani sociis, obviam ivisset periculo, quo illi tunc opprimerentur quodque in provinciam postea redundare necesse esset; adeo ut existimandus esset, non occasiones arripuisse militaris gloriæ sibi injuria comparandæ, sed dignitati atque utilitati populi Romani consuluisse. Non plane tamen et aperte in hac causæ suæ propugnatione versatus est, sed callidissima arte effecit, ut se defenderet neque se defendere videretur, velut tectus miles ex insidiis hostes propulsans. Namque rationes, quas reddidit, non a narratione distractæ segregatæque prodeunt, sed cum narratione conjunctæ et consociatæ sunt, neque ideo introductæ esse videntur, ut Cæsar facta sua probet, sed ut plenam dilucidamque legentibus rerum expositionem præbeat; idque assecutus est omnia cum Helvetiis, Gallis, Ariovisto habita colloquia fusius, quam plerumque facere solet, referendo. Quod ad septimum librum attinet, non longum erit expedire. Hoc enim libro enarravit Cæsar præstantissimas res a

se in Gallia gestas, bellum gravissimum, summæ rerum certamen, in quo si devictus fuisset, omnem priorum victoriarum fructum amisisset, ex quo victor excessit, eaque ultima victoria ceteras in perpetuum confirmavit, neque id solummodo bellum confecit, sed futurorum quoque cum Gallis bellorum materiam prope sustulit. Erant igitur septimi anni res maxime dignæ, quæ accuratissimo atque etiam, quantum sinebat ratio ipsa *Commentariorum*, ornato narrandi genere exponerentur.

Quo planius intellegatur, quantum utilitatis ex orationibus perceperit Cæsar, non supervacaneum esse arbitror, collatis hinc atque illinc orationum locis, et lineamentis, ut ita dicam, in unum contractis, quæ passim dissipata occurrunt, adumbrare effigies ipsius, suorum, barbarorum, quales voluit, qualesque revera necesse est, in legentium mentibus informari.

Ab ea persona nobis ordiendum est, quæ multo maximas partes in *Commentariis* tenet. Cæsar igitur primum erga deos pietatem præ se fert. Audiamus enim ea, quæ de eorum justitia apud Helvetiorum legatos gravissimis verbis asseverat[1] : « Quod sua « victoria tam insolenter gloriarentur, quodque tam « diu se impune injurias tulisse admirarentur, eo- « dem pertinere (scilicet ut Cæsari minus dubita- « tionis daretur). Consuesse enim deos immortales, « quo gravius homines ex commutatione rerum « doleant, quos pro scelere eorum ulcisci velint, « his secundiores interdum res et diuturniorem

[1] I, 14, 4 sq.

« impunitatem concedere. » Victoriam a se reportatam ex Gallis, qui post Sabini et Cottæ legatorum cladem castra Q. Ciceronis oppugnaverant, non solum militum virtuti, sed beneficio quoque deorum immortalium apud suos contionans attribuit [1]. Quam Cæsaris pietatem haud ingrate ferunt dii; dii Cæsarem tuentur; felicitatem suam Helvetiorum bello esse perspectam testatur in eo consilio, ubi summopere contendit ut terrorem Ariovisti, quo teneri suos cognovit, dissolvat [2]. Neque tamen diis in rerum suarum expositione tantum dedit locum, quantum dedisse constat Sullam, qui prodigia aliasque res, quibus deorum voluntates declarari vulgo existimabantur, diligenter retulerat [3]. Sed, quamvis magis profecto sibi confideret, quam diis publico cultu celebratis, quos nullos esse certe arbitrabatur, illorum mentionem interdum fecit, ratus id non inutile fore ad conciliandos sibi hominum animos, quorum numerus in civitate multo major etiamtunc erat, qui veteres de rebus superis opiniones retinebant.

Multo plura passim inseruit, ut demonstraret quantopere patriæ suæ amans observansque esset et populi Romani utilitati atque dignitati deditus. Primum enim ejus indolem egregiis virtutibus exornatam exhibuit. Optima probitate et fide, si modo Cæsari credendum est, adeo præstat populus Romanus, ut barbaros sui similes esse ducat neque fraudationem et perfidiam eorum nulla re meritam suspicetur et caveat. Quæ causa fuit cladis in Hel-

[1] V, 52, 6 — [2] I, 40, 13. — [3] Cf. H. Peter, *Hist. rom.* rell., CCLXXIX, sqq.

vetiorum bello, L. Cassio consule, acceptæ : « His « (legatis Helvetiorum minacibus verbis pacem pe« tentibus) Cæsar ita respondit : Eo sibi minus du« bitationis dari, quod eas res, quas legati Helvetii « commemorassent (Cassianam cladem), memoria « teneret, atque eo gravius ferre, quo minus me« rito populi Romani accidissent : qui si alicujus « injuriæ sibi conscius fuisset, non fuisse difficile « cavere ; sed eo deceptum, quod neque commis« sum a se intellegeret, quare timeret, neque sine « causa timendum putaret [1]. » Qui sint amicitiæ populi Romani fructus, his verbis a Cæsare apud Ariovistum factis magnificenter declaratur [2] : « Po« puli Romani hanc esse consuetudinem, ut socios « atque amicos non modo sui nihil deperdere, sed « gratia, dignitate, honore auctiores velit esse : « quod vero ad amicitiam populi Romani attulis« sent, id iis eripi quis pati posset? » Apud eumdem Ariovistum firmam esse et stabilem illam amicitiam asseverat [3] : « Neque suam neque populi Romani « consuetudinem pati, uti optime merentes socios « (Æduos) desereret. » Ostendit paulo infra in eadem oratione populi Romani erga victos clementiam, qui non omnia pro suo jure agere necesse habet [4] : « Bello superatos esse Arvernos et Rute« nos ab Q. Fabio Maximo, quibus populus Roma« nus ignovisset, neque in provinciam redegisset, « neque stipendium imposuisset. » Cum ejusmodi sit populi Romani indoles, quis mirari possit Cæsarem tanta eum reverentia colere, tanto amore dili-

[1] I, 14, 1 sq. — [2] I, 43, 8. — [3] I, 45, 1. — [4] I, 45, 2.

gere? Morem et exemplum populi Romani pro regula administrandæ provinciæ habet, primoque statim in Gallia adventu, Helvetiis per legatos petentibus ut sibi detur facultas iter per provinciam faciendi, « negat se more et exemplo populi Ro« mani posse iter ulli per provinciam dare [1]. » Injurias populi Romani quam graviter ferat, et verbis ex oratione habita a se apud Helvetios [2] supra allatis testatur, et his, quæ illa excipiunt : « Quod « si veteris contumeliæ oblivisci vellet, num etiam « recentium injuriarum, quod eo invito iter per « provinciam per vim tentassent, quod Æduos, « quod Ambarros, quod Allobrogas vexassent, me« moriam deponere posse? » In eadem oratione cladis ab Romanis acceptæ honestam causam proponit : eam enim non militum ignaviæ neque ducis nequitiæ, sed soli hostium perfidiæ assignat; quo fit ut dedecus omne rei tollatur. Contra Ariovistum Galliæ possessionem sibi vindicantem populi Romani jus affirmat : « Quod si antiquissimum quod« que tempus spectari oporteret, populi Romani « justissimum esse in Gallia imperium [3]. » Apud legatos ad se ab Aduatucis de deditione missos pollicetur se prohibiturum ne quid detrimenti accipiant illi, si se fidei populi Romani commiserint : « Se id, quod in Nerviis fecisset, facturum, finiti« misque imperaturum, ne quam dediticiis populi « Romani injuriam inferrent [4]. » Quorsum hæc omnia pertinebant? Sperabat fore ut cives pro tantis reverentiæ atque amoris pignoribus justam debi-

[1] I, 8, 3. — [2] I, 14. — [3] I, 45, 3. — [4] II, 32, 2.

tamque gratiam persolverent, favorem scilicet et flagrantissima studia, quibus ipsi maxime opus erat ad sua consilia perficienda. Nonne eorum omnium, quicumque patriæ libertatem opprimere sibique singulare imperium et regiam potestatem, spretis legibus, parare in animum induxerunt, hæc eadem fuit ratio viaque ?

Præcipuam vero Cæsar in senatum observantiam, cujus haudquaquam magni fecit revera, dum Galliam obtinuit, auctoritatem, verbis ostentat. Quanam enim causa se innixum esse declarat, ut ab Ariovisto postularet, ne Æduos ille injuria lacesseret, neve his sociisque eorum bellum inferret ? Senatus consulto quodam : « Si non impetraret « (postulata Cæsar), sese, quoniam M. Messala, « M. Pisone consulibus senatus censuisset uti, « quicumque Galliam provinciam obtineret, quod « commodo reipublicæ facere posset, Æduos cete« rosque amicos populi Romani defenderet, se « Æduorum injurias non neglecturum [1]. » « Doce« bat etiam (Ariovistum), quam veteres quamque « justæ causæ necessitudinis ipsis cum Æduis in« tercederent, quæ senatusconsulta quoties quamque honorifica in eos facta essent [2]. » Item Ariovisto, Galliæ possessionem sibi vindicanti, judicium senatus opponit : « Si judicium senatus « observari oporteret, liberam debere esse Galliam, « quam bello victam suis legibus uti voluisset [3]. » Atqui senatus major pars ex adversariis Cæsaris constabat, qui inde ab anno 698-56 de abroganda ei

[1] I, 35, 4. — [2] I. 43, 6 sq. — [3] I, 45, 3.

provincia egerunt, quique, dum ille Galliam obtinuit, iniqua judicia de provinciæ administrandæ ratione fecerunt atque evulgarunt, et quorum crimina haud dubie refert Suetonius[1]: « Nec deinde « (post habitum cum Pompeio et Crasso Lucæ anni « 698-56 mense aprili colloquium) ulla belli occasio« ne, ne injusti quidem et periculosi abstinuit, tam « fœderatis quam infestis ac feris gentibus ultro « lacessitis. » Quæ majoris senatorum numeri in Cæsarem mens fuerit, ostenditur eis, quæ sequuntur illa, verbis: « Adeo ut senatus quondam lega« tos ad explorandum statum Galliarum mittendos « decreverit... » Quidam, quorum dux erat Cato, sæviora decernenda esse censebant: « ... Ac non« nulli dedendum eum hostibus censerent[2]. » Eamdem Cæsari adversam opinionem tradit Dio[3]: « Καῖσαρ δὲ εὗρε μὲν οὐδὲν ἐν τῇ Γαλατίᾳ πολέμιον, ἀλλὰ καὶ ἀκριβῶς « πάντα ἡσύχαζεν· οὐ μέντοι καὶ ἐν εἰρήνῃ διεγένετο, ἀλλὰ καὶ αὐτομάτου « τὸ πρῶτον πολέμου τινὸς αὐτῷ συμβάντος ἕτερος συνηνέχθη » Poteratne Cæsar magis justa et idonea excusatione optimatium criminationes defendere, quippe cum, insimulantibus illis ipsum barbaris non legitima bella injussu senatus intulisse, demonstraret bellum Ariovisti, quod ceterorum omnium origo fuisset, ea maxime causa susceptum esse, ne senatus consulta irrita fierent? Itaque in quo ordine gravissimæ adversariorum in eum contentiones ortæ erant, ejusdem ordinis se fautorem dignitatis atque auctoritatis adjutorem callide effingebat.

Talem igitur civis speciem orationibus exhibuit Cæsar; inspiciamus nunc qualem imperatoris ima-

[1] *Cæs.*, 24. — [2] Cf. Plut. *Cæs.* 22; *Cat. min.* 51. — [3] XXXVIII, 31.

ginem expresserit. Quanta caritate et benevolentia milites foveat quantique pretii eorum vitam æstimet, hac oratione declarat, quam a se habitam refert[1], ut consolaretur milites indignantes quod Galli, palude protecti, conspectum suum perferrent neque Cæsar, tantulo spatio interjecto, signum prœlii exposcentibus daret : « Edocet quanto detri« mento et quot virorum fortium morte necesse « sit constare victoriam ; quos cum sic animo « paratos videat, ut nullum pro sua laude pericu« lum recusent, summæ se iniquitatis condemnari « debere, nisi eorum vitam sua salute habeat ca« riorem. » Qua de re iterum mentionem injecit in ea contione, qua castigavit consolatusque est milites post improsperum ad Gergoviam prœlium factum[2] : « Exposuit quid iniquitas loci posset, quod « ipse ad Avaricum sensisset, cum, sine duce et « sine equitatu deprehensis hostibus, exploratam « victoriam dimisisset, ne parvum modo detri« mentum in contentione propter iniquitatem loci « accideret. » Quin etiam se paratum fuisse ostendit facere laudis suæ damnum, ut militibus summa rei frumentariæ difficultate in oppugnando Avarico laborantibus subveniret[3] : « ... Cæsar cum in opere « singulas legiones appellaret et, si acerbius ino« piam ferrent, se dimissurum oppugnationem « diceret... »

Quam militum caritatem non solum maxima vitæ eorum laborumque æstimatione præstat, sed consolationibus quoque, quibus accepti interdum in-

[1] VII, 19, 4 sq. — VII, 52, 2. — [3] VII, 17, 4.

commodi dolorem lenire properat, cum sciat præterea quantum intersit imperatoris prohibere ne militum animi rebus adversis affligantur atque debilitentur. Itaque postero die, quam in castra Ciceronis, post cladem Sabini et Cottæ, pervenit, « contione habita rem gestam proponit, milites « consolatur et confirmat; quod detrimentum culpa « et temeritate legati sit acceptum, hoc æquiore « animo ferendum docet, quod, beneficio deorum « immortalium et virtute eorum expiato incom- « modo, neque hostibus diutina lætatio, neque ip- « sis longior dolor relinquatur [1]. » Item, postquam res ad Gergoviam improspere gesta est, cohortantandos milites intellegit, ne desperatione afficiantur [2]: « .... Ad extremam orationem confirmatis « militibus, ne ob hanc causam animo permoveren- « tur, neu, quod iniquitas loci attulisset, id virtuti « hostium tribuerent.... » Quid valeant laudes ad confirmandam militum fortitudinem cupiditatemque inflammandam, non Cæsarem fugit: quare bene meritis legionibus laudes libentissime impertit. Navibus sexcentis, cum in Britanniam transire vellet, celeriter a militibus confectis, collaudat illos atque eos, qui negotio præfuerunt [3]. Ubi, Ciceronis castra ingressus [4], judicavit « quanto cum periculo « et quanta cum virtute res sint administratæ, « Ciceronem pro ejus merito legionemque collau- « dat; centuriones singillatim tribunosque militum « appellat, quorum egregiam fuisse virtutem testi- « monio Ciceronis cognoverat. » Postero die, con-

[1] V, 52, 5 sq. — [2] VII, 53, 1. — [3] V, 2, 3. — [4] V, 52.

tione convocata, demonstrat expiatum esse incommodum beneficio deorum immortalium et virtute ipsorum. » De illa militum virtute haud semel in cohortationibus mentionem facit. Terrore Ariovisti perculsos interrogat [1] « cur de sua virtute aut de ipsius diligentia » desperent. Repentino Nerviorum impetu turbatos hortatur [2] « uti suæ pristinæ virtutis memoriam » retineant.

Neque tamen committit ut nimia indulgentia patiatur infringi vim imperii atque lascivire milites et jugum obedientiæ detrectare. Cum enim ei, antequam castra moveri contra Ariovistum profecturus jubeat, nuntiatum sit milites non fore dicto audientes, has seditionis minas imperatorio animi vigore, non lenibus summissisque blandimentis, comprimit[3]: « Quod non fore dicto audientes neque signa « laturi dicantur, nihil se ea re commoveri...; se « quod in longiorem diem collaturus fuisset, re- « præsentaturum et proxima nocte de quarta vigi- « lia castra moturum, ut quam primum intellegere « posset, utrum apud eos pudor atque officium, an « timor plus valeret. » Ut laudibus præclare facta exornat, ita vituperationum severitate minime abstinet, ubi milites in aliqua culpa sunt. Quam rem bis evenisse narrat per eos annos, qui septem *Commentariorum de Bello Gallico* libris continentur: primo ante bellum Ariovisti, cum non quidem erupisset seditio, sed seditionis futuræ indicia jam multa provenirent ; deinde in obsidione Gergoviæ, cum milites, longius quam ipse jussisset progressi,

[1] I, 40, 4. — [2] II, 21, 2. — [3] I, 40, 12 sqq.

grave detrimentum accepissent. Quorum locorum unus hic est[1]: « ... Vehementer eos incusavit, pri-« mum quod aut quam in partem aut quo consilio « ducerentur, sibi quærendum aut cogitandum « putarent... Qui suum timorem in rei frumentariæ « simulationem angustiasque itineris conferrent, « facere arroganter, cum aut de officio imperato-« ris desperare aut præscribere viderentur... » ; alter hic[2]: « Postero die Cæsar contione advocata « temeritatem cupiditatemque militum reprehen-« dit, quod sibi ipsi judicavissent, quo proceden-« dum aut quid agendum videretur, neque signo « recipiendi dato constitissent, neque ab tribunis « militum legatisque retineri potuissent... Quanto « opere eorum animi magnitudinem admiraretur, « quos non castrorum munitiones, non altitudo « montis, non murus oppidi tardare potuisset, « tanto opere licentiam arrogantiamque reprehen-« dere, quod plus se quam imperatorem de victoria « atque exitu rerum sentire existimarent ; nec « minus se in milite modestiam et continentiam « quam virtutem atque animi magnitudinem desi-« derare. » Quas vituperationes, graves equidem vehementesque, ita tamen adhibet, ut laude vel confirmatione mitigatæ sint, neve milites ad desperationem adigant, sed ut contra alacritate ét vincendi cupiditate inflamment. His omnibus rebus comprobat se penitus perspexisse atque novisse militares animos, quæ haud scio an prima summaque sit imperatoris virtus. Quis vero non statim

[1] I, 40, 1 et 10. — [2] VII, 52, 1 sqq.

videt quantum utilitatis, cum Romanis scriberet, apud quos imperatoriæ virtutes præcipua omni tempore existimatione valuerunt, eum percipere, hoc comprobato, necesse esset ?

Restat ut inspiciamus qualem Cæsar in orationibus suam erga barbaros exhibuerit agendi rationem ; quam duplicem fuisse demonstrat, prout cum hostibus vel cum pacatis amicisque ageret. In orationibus enim, quas a se habitas apud hostes refert, fortem constantemque sese exhibet eumque virum, qui nullam vim reformidet, et cui destinatum in animo sit nihil omnino armatis minacibusque concedere. Legatis Helvetiorum primum negat facultatem iter per provinciam faciendi, deinde, » si vim « facere conentur, (se) prohibiturum ostendit [1]. » Eisdem Helvetiis Cassianam cladem terroris injiciendi causa memorantibus respondet [2] : « Eo sibi « minus dubitationis dari, quod eas res, quas le- « gati Helvetii commemorassent, memoria teneret. » Legatis Aduatucorum de oppidi deditione ad se missis confirmat « deditionis nullam esse condicio- « nem nisi armis traditis [3]. » Legatos Germanorum, qui in Galliam transierant atque petebant ut sibi esset cum Romanis amicitia, his cum mandatis dimittit : « Sibi nullam cum his amicitiam esse posse, « si in Gallia remanerent ; neque verum esse, qui « suos fines tueri non potuerint, alienos occu- « pare [4]. » Neque rursus adeo immitis et bellicæ laudis appetens existimandus est, ut condicionibus pacis aures omnino clausas habuerit et nullam

[1] I, 8, 3. — [2] I, 14, 1. — [3] II, 32, 2. — [4] IV, 8, 1 sq.

rem tam vehementer concupiverit, quam strages cædesque. Immo condiciones pacis ultro Helvetiis offert[1] : « Cum ea ita sint, tamen, si obsides ab iis « sibi dentur, uti ea, quæ polliceantur, facturos in- « tellegat, et si Æduis de injuriis, quas ipsis so- « ciisque eorum intulerint, item si Allobrogibus « satisfaciant, sese cum iis pacem esse facturum. » Neque in Aduatucos, quamvis feros superbosque hostes, immisericordem se præbet[2] : « Se magis « consuetudine sua quam merito eorum civitatem « conservaturum, si prius, quam murum aries at- « tigisset, se dedidissent... Se id, quod in Nerviis « fecisset, facturum finitimisque imperaturum ne « quam dediticiis populi Romani injuriam infer- « rent. » De Cæsaris adversus barbaros agendi ratione diversa prorsus ut esset opinio, sedulo fecerant ejus adversarii, quorum de ea re judicia tradidit his verbis Suetonius[3] : « In Gallia fana tem- « plaque deum donis referta expilavit, urbes diruit, « sæpius ob prædam, quam ob delictum. » Conferantur præterea cum his verbis illa ejusdem scriptoris verba, quæ supra attulimus, de bellorum, quæ in Gallia gessit Cæsar, causis ac ratione. Illa, quamvis constantis, mitis tamen animi documenta eo diligentius in prioribus libris exposuit, quod in posterioribus quædam haudquaquam clementer facta narraturus erat; Avarici direptionem exempli gratia dico et Eburonum internecionem ; idque ea mente fecit, ut videretur non natura sua impulsus, sed barbarorum injuriis ad istiusmodi supplicia sumenda devenisse.

[1] I, 14, 16. — [2] II, 32, 1 sq. — [3] *Cæs.*, 54.

Barbaros vero, qui ipsius populique Romani amicitia usi essent, primum summa cura ab injuriis defendisse, deinde summa benevolentia dilexisse summoque honore coluisse videri vult. Audiamus ipsum ordine enumerantem quas res Helvetiis vitio det[1] : « Quod eo invito iter per pro-« vinciam per vim temptassent, quod Æduos, quod « Ambarros, quod Allobrogas vexassent... » Non igitur solum suas populique Romani injurias, sed etiam Gallorum amicorum ulciscendas suscipit. Gallorum principibus de Ariovisti injuriis querentibus ita respondet[2] : « ...Sibi eam rem curæ futu-« ram ; magnam se habere spem et beneficio suo « et auctoritate adductum Ariovistum finem injuriis « facturum. » Quam pollicitus est operam, eam fideliter præstat ; namque per legatos ab Ariovisto postulavit ut [3] « obsides, quos haberet ab Æduis, « redderet, Sequanisque permitteret ut, quos illi « haberent, voluntate ejus reddere illis liceret ; « neve Æduos injuria lacesseret, neve his sociis-« que eorum bellum inferret.... ; si non impetraret « (id Cæsar),... se Æduorum injurias non neglectu-« rum. » Ipse in colloquio apud Ariovistum confirmavit[4] : « Neque suam neque populi Romani con-« suetudinem pati, uti optime merentes socios de-« sereret. » Primum in amicitia ipsius locum obti-« nent Ædui, « fratres consanguineique[5] » populi Romani, et præcipue eorum princeps Divitiacus. Cum habeat compertum a Dumnorige fratre ejus, civitatem Æduorum ad seditionem concitari, quæ

[1] I, 14, 3. — [2] I, 33, 1. — [3] I, 35, 3 sq. — [4] I, 45, 1. — [5] I, 33, 2.

de illo noverit, Divitiaco ostendit. « Petit atque « hortatur, ut sine ejus offensione animi vel ipse « de eo causa cognita statuat, vel civitatem sta- « tuere jubeat[1]. » Obsecrantem Divitiacum[2] « ne « quid gravius in fratrem statueret », Cæsar « con- « solatus rogat finem orandi faciat; tanti ejus apud « se gratiam esse ostendit, uti et reipublicæ inju- « riam et suum dolorem ejus voluntati ac precibus « condonet[3]. » Dumnorigi ad se vocato « præterita « se Divitiaco fratri condonare dicit[4]. » Bellovacis « pacem ab Romanis per Divitiacum petentibus respondet : « Honoris Divitiaci atque Æduorum « causa sese eos in fidem recepturum et conserva- « turum[5]. » Item Senonibus per Æduos deprecantibus « libenter Cæsar petentibus Æduis dat ve- « niam[6]. » Qua mansuetudine injurias condonaverit, non solum verbis illis, quæ paulo supra retulimus, apud Divitiacum Dumnorigemque habitis demonstrat, sed his quoque, quibus legatos Æduorum appellat civitatis excusationem offerentes de direptis Marci Aristii aliorumque Romanorum impedimentis, quamvis intellegat timore pœnæ, non facti pænitentia eos commoveri[7]. « Nihil se propter « inscientiam levitatemque vulgi gravius de civitate « judicare neque de sua in Æduos benevolentia « deminuere. » Cum tot tantisque amicitiæ pignoribus a Cæsare cumulati essent Ædui, nihilominus contra Romanos in bello Vercingetorigis cum ceteris Gallis postremo conjuravere. Sensit prius Cæsar ab officio eos furtim recedere, quam amicitiæ spe-

[1] I, 19, 5. — [2] 20, 1. — [3] I, 20, 5. — [4] 20, 6. — [5] II, 15, 1. — [6] VI, 4, 3. — [7] VII, 43, 4.

ciem exuerunt hostilesque animos manifesto præ se tulerunt. Dissimulavit tamen dolorem acceptæ injuriæ, neque in Eporedorigem et Viridomarum, adulescentes Æduos, quos secum diu habuerat benevolentiaque foverat atque dignitate auxerat, ab ipso postulantes ut sibi fieret abeundi facultas, ad confirmandam civitatem, ut ipsi aiebant, revera maturandæ defectionis causa, minacibus verbis invectus est, sed eos beneficiorum suorum simpliciter monuit: « ...Sua in Æduos merita exposuit, « quos et quam humiles accepisset, compulsos in « oppida, multatos agris, omnibus ereptis copiis, « imposito stipendio, obsidibus summa cum contu- « melia extortis, et quam in fortunam quamque in « amplitudinem deduxisset, ut non solum in pris- « tinum statum redissent, sed omnium temporum « dignitatem et gratiam antecessisse viderentur[1]. »

Ducis virtutum constantia militum certissimum plerumque argumentum est. Quam ob rem Cæsar, ut optimam imperatoriæ suæ præstantiæ opinionem, quam relatis orationibus suis se allaturum sperabat, augeret, verba quædam suorum vel legatorum vel militum tradidit, quibus demonstraret quali in ipsum voluntate quantaque laboris ac periculorum tolerantia fuissent. Ut terrorem Ariovisti usque ad seditionis minas provectum deponeret exercitus, sola per se effecit ea oratio Cæsaris, ex qua pauca supra attulimus; quique dicto audientes non fore dicebantur milites, ii statim per tribunos ac centuriones imperatori satisfecerunt[2]: « Se nec

[1] VII, 54, 3 sq. — [2] I, 41, 3.

« unquam dubitasse, neque timuisse, neque de « summa belli suum judicium, sed imperatoris « esse existimavisse. » In illo consilio, ubi de Ambiorigis ad legatos Cottam et Sabinum mandatis deliberatum est, contenderunt Cotta compluresque tribuni et primorum ordinum centuriones « nihil « temere agendum neque ex hibernis injussu Cæ- « saris discedendum[1]. » Diversæ sententiæ auctor Sabinus dixit [2] « Cæsarem arbitrari profectum in « Italiam : neque aliter Carnutes interficiendi Tas- « getii consilium fuisse capturos, neque Eburones, « si ille adesset, tanta contemptione nostri ad cas- « tra venturos esse. » Ita uterque, quamvis non eodem modo, quanti Cæsaris auctoritatem æstimaret declaravit. Quod idem paulo post Cicero fecit, ubi Nerviorum principibus ut ex hibernis discederet suadentibus respondit[3] : « Non esse consuetu- « dinem populi Romani accipere ab hoste armato « condicionem ; si ab armis discedere velint, se « adjutore utantur legatosque ad Cæsarem mittant : « sperare pro ejus justitia, quæ petierint, impetra- « turos. » Qua oratione habita fortis prudentisque ducis officio functus est et sese dignum imperatore legatum præbuit. Audiamus nunc quibus verbis Labienus milites ante pugnam cohortatus sit : « Habetis, inquit, milites, quam petistis, faculta- « tem : hostem impedito atque iniquo loco tenetis ; « præstate eamdem nobis ducibus virtutem, quam « sæpenumero imperatori præstitistis, atque illum « adesse et hæc coram cernere existimate[4]. »

[1] V, 28, 3. — [2] 29, 2. — [3] V, 41, 7 sq. — [4] VI, 8, 4.

« Labienus milites cohortatus ut suæ pristinæ « virtutis et secundissimorum prœliorum retine- « rent memoriam atque ipsum Cæsarem, cujus « ductu sæpenumero hostem superassent, præsen- « tem adesse existimarent[1]... » His locis apparet quam amanter fideliterque dediti essent milites imperatori quantumque valeret ad inflammandam eorum alacritatem sola ipsius præsentia ; ut eorum in laboribus tolerandis constantiam perspiciamus, satis erit adscripsisse verba quibus Cæsari responderunt, cum is diceret se, « si acerbius inopiam « ferrent, dimissurum (Avarici) oppugnationem » : « Universi ab eo, ne id faceret, petebant : sic se « complures annos illo imperante meruisse, ut « nullam ignominiam acciperent, nusquam infecta « re discederent : hoc se ignominiæ laturos loco, si « inceptam oppugnationem reliquissent ; præstare « omnes perferre acerbitates, quam non civibus « Romanis, qui Cenabi perfidia Gallorum interiis- « sent, parentarent[2]. » Denique liceat afferre pulcherrima M. Petronii centurionis verba, qui, ad Gergoviam multitudine hostium oppressus, vitæ suæ jacturam fecit, ut militum salutem procuraret[3] : « Quoniam, inquit, me una vobiscum servare non « possum, vestræ quidem certe vitæ prospiciam, « quos cupiditate gloriæ adductus in periculum « deduxi. Vos data facultate vobis consulite..... « Frustra meæ vitæ subvenire conamini, quem jam « sanguis viresque deficiunt. Proinde abite, dum « est facultas, vosque ad legionem recipite. » Qui-

[1] VII, 62, 2. — [2] VII, 17, 5 sqq. — [3] VII, 50, 4 sqq.

bus vero Romæ rebus Cæsaris inimici animum intendebant, dum fortissimi milites atque imperatori maxime dediti rem publicam in Gallia feliciter gerebant ? Clandestinis nuntiis cum barbarorum ducibus de Cæsaris nece agebant ; quod Ariovistus fine orationis apud Cæsarem in colloquio habitæ asseverat[1] : « Quod si eum interfecerit, multis sese « nobilibus principibusque populi Romani gratum « esse facturum : id se ab ipsis per eorum nuntios « compertum habere, quorum omnium gratiam at« que amicitiam ejus morte redimere posset. »

Non satis habuit Cæsar eximiam sui ipsius effigiem orationibus expressisse, sed etiam plerisque barbarorum, eadem ratione usus, ejusmodi speciem induxit, quæ maxime accommodata esset ad effigiem illam comparatione ipsa exornandam atque honestandam. Feroces arrogantesque prodeunt, dum se superiores esse arbitrantur neque de victoria dubitant. Qualis est Divico Helvetius : « Sin « bello (Cæsar Helvetios) persequi perseveraret, « reminisceretur et veteris incommodi populi Ro« mani et pristinæ virtutis Helvetiorum.... Ne com« mitteret ut is locus, ubi constitissent, ex calami« tate populi Romani et internecione exercitus « nomen caperet aut memoriam proderet[2]..... Ita « Helvetios a majoribus suis institutos esse, uti « obsides accipere, non dare consuerint : ejus rei « populum Romanum esse testem[3] » ; qualis præterea Ariovistus[4], quales denique Germani[5]. Rursus, postquam intellexerunt se sub potesta-

[1] I, 44, 12 — [2] I, 13, 4 et 7. — [3] I, 14, 7. — [4] Cf. I, 34 ; 36, 6 sq. ; 44 7 sqq. — [5] Cf. IV, 7, 2 ; 16, 4.

tem Romanorum redactos esse suamque salutem ex arbitrio victoris pendere, ad humiles ac supplices obsecrationes descendunt. Ne multis exemplis utar, Helvetii, quorum superbissima verba modo retulimus, legatos de deditione, post adversum cum Romanis prœlium factum, ad Cæsarem mittunt[1]: « Qui « cum eum in itinere convenissent seque ad pedes « projecissent suppliciterque locuti flentes pacem « petissent, atque eos in loco, quo tum essent, « suum adventum exspectare jussisset, paruerunt. » Aduatuci, qui Romanos machinationes expugnandi oppidi causa instituentes primum irriserunt, mox ad Cæsarem legatos mittunt[2], « qui ad hunc mo- « dum locuti : Non existimare Romanos sine ope « divina bellum gerere, qui tantæ altitudinis ma- « chinationes tanta celeritate promovere possent, « se suaque omnia eorum potestati permittere dixe- « runt. Unum petere ac deprecari : si forte pro sua « clementia ac mansuetudine, quam ipsi ab aliis « audirent, statuisset Aduatucos esse conservan- « dos, ne se armis despoliaret.... » Præterea, non omnes barbari ferocem illam arrogantiam adversus Romanos adhibent, quæ, quamvis cum Romana animi magnitudine non sit conferenda, magna tamen quodammodo ac generosa est : sunt qui per sordidas atque abjectas artes, dissimulationem et perfidiam, eos adgrediuntur ; cujus generis tres præcipuas personas inducit Cæsar : Dumnorigem Æduum[3], Indutiomarum Treverum[4], Ambiorigem Eburonem, in quem flagrantissimum exarsit Cæ-

[1] I, 27, 2. — [2] II, 31, 2 sqq. — [3] Cf, I, 17, 1 ; 18 ; V, 6, 3 sq. — [4] Cf. V, 3, 6 sqq ; 55, 1.

saris odium ob interfectos cum militibus Sabinum et Cottam legatos. Hic, ut Romanos ex hibernis in insidias alliciat, eximia oratione utitur, quæ tota ex fraude ac mendacio facta est [1]. Quam neque universam, ut multo longiorem, adscribere licet, neque, si quædam excerpere vellem, quid omittere possem video, adeo omnia, ex quibus constat, verba callidissimam illam astutiam redolent. Cum sæpius a Cæsare barbari postulent auxilium [2], raro se gratos ac memores beneficii præbent. Ut enim principes Galliæ, confecto Helvetiorum bello, Cæsari gratias agunt [3], ita animi haudquaaquam grati documenta præstant Ariovisti orationes [4], nec non Litavici Ædui oratio [5]. Suspiciosos denique et crudeles barbaros Cæsar exhibet, ut, quot virtutibus ipse præditus apparet, tot vitiis illi deformes videantur. Suspiciosi animi non semel in orationibus indicium dat Ariovistus [6]. De ejusdem crudelitate hæc apud Cæsarem verba faciunt principes Galliæ [7] : « Ariovistum autem, ut semel Gallorum copias prœlio vicerit,.... superbe et crudeliter imperare, obsides nobilissimi cujusque liberos poscere et in eos omnia exempla cruciatusque edere, si qua res non ad nutum aut ad voluntatem ejus facta sit. Hominem esse barbarum, iracundum, temerarium ; non posse ejus imperia diutius sustinere... » Præcipuum vero immanitatis exemplum Critognatum Arvernum voluit esse, cujus orationem Alesiæ apud Gallos habitam de vita eorum corpo-

[1] V, 27. — [2] Cf. I, 11, 3 ; 31, 14 ; IV, 6, 5 ; VII, 32, 2. — [3] I, 30. — [4] I, 34, 36 et 44. — [5] VII, 37, 2 sqq. — [6] Cf. I, 34, 3 ; 42, 4 ; 44, 10. — [7] I, 31, 12, sq.

ribus, qui ætate ad bellum inutiles viderentur, toleranda, summa diligentia atque arte explicavit, indicavitque ipse qua de causa id faceret[1] : « Non « prætereunda oratio Critognati videtur propter « ejus singularem et nefariam crudelitatem. » Cum tam multis locis vitia barbarorum expresserit Cæsar, paucos admodum bona indole præditos induxit, ut est Divitiacus Æduus[2].

Segregandus a ceterorum numero honoris causa videtur Vercingetorix, ut breviter declaremus qualem Cæsar ejus viri, præstantissimi eorum omnium, qui Gallis adversus Romanos illa ætate bella gerentibus præfuerunt, effigiem orationibus adumbraverit. Longe igitur abest ut eum omnino virtutibus destitutum exhibuerit : quod hominis imperiti fuisset et suæ laudi male consulentis. Voluit contra legentibus demonstrare se ex egregio imperatore victoriam reportavisse. Primus enim omnium ille plane intellexit qua ratione bellum administrandum esset, ut aliqua esset Gallis spes vincendi. « Docet « longe alia ratione esse bellum gerendum, atque « antea gestum sit. Omnibus modis huic rei stu- « dendum, ut pabulatione et commeatu Romani pro- « hibeantur. Id esse facile, quod equitatu ipsi abun- « dent et quod anni tempore subleventur... Præte- « rea communis salutis causa rei familiaris com- « moda neglegenda : vicos atque ædificia incendi « oportere hoc spatio ab via quoquoversus, quo « pabulandi causa adire posse videantur... Præte- « rea oppida incendi oportere, quæ non munitione

[1] VII, 77, 2. — [2] Cf. præsertim I, 20.

« et loci natura ab omni sint periculo tuta, neu suis « sint ad detrectandam militiam receptacula, neu « Romanis proposita ad copiam commeatus præ- « damque tollendam [1]. » Quibus similia sunt hæc: « Neque fortunam temptaturum aut in acie dimi- « caturum; sed, quoniam abundet equitatu, perfa- « cile esse factu frumentationibus pabulationibus- « que Romanos prohibere; æquo modo animo sua « ipsi frumenta corrumpant ædificiaque incen- « dant [2]... Interea æquum esse ab iis communis sa- « lutis causa impetrari ut castra munire instituе- « rent, quo facilius repentinos hostium impetus « sustinerent [3]. » Satis apud Gallos Vercingetorigis auctoritas valuit, ut illas rerum suarum jacturas illosque novos atque insolitos labores constanter tolerarent. Quam auctoritatem ut sibi pararet, primum patriæ et libertatis caritate animos inflammavit mentibusque eorum servitutis mala subjecit: « Communis salutis causa rei familiaris commoda « neglegenda. Hæc si gravia aut acerba videantur, « multo illa gravius æstimare, liberos, conjuges in « servitutem abstrahi, ipsos interfici; quæ sit neces- « se accidere victis [4]. Æquo modo animo sua ipsi « frumenta corrumpant ædificiaque incendant, qua « rei familiaris jactura perpetuum imperium liberta- « temque se consequi videant [5]. » Deinde operam dedit, ut Romanorum terrorem imminueret [6]. Præterea demonstravit se de belli administratione melius ac sanius quam quemquam alium judicavisse idque rerum eventu comprobari [7]: « Sibi nunquam

[1] VII, 14, 2 sqq. — [2] 64, 2 sqq. — [3] 29, 7. — [4] 14, 5 et 10. — [5] 64, 3. — [6] Cf. 20, 6; 66, 4 et 6. — [7] 29, 4.

« placuisse Avaricum defendi; cujus rei testes ip-
« sos haberet; sed factum imprudentia Biturigum
« et nimia obsequentia reliquorum uti hoc incom-
« modum acciperetur. » Neque pollicitationibus abstinuit, quæ Gallorum animos augerent: « Id
« tamen se celeriter majoribus commodis sanatu-
« rum. Nam quæ ab reliquis Gallis civitates dissen-
« tirent, has sua diligentia adjuncturum atque
« unum consilium totius Galliæ effecturum, cujus
« consensui ne orbis quidem terrarum possit obsis-
« tere; idque se prope jam effectum habere[1]. »
« Quem (exercitum Romanum) turpiter se ex fuga
« recipientem ne qua civitas suis finibus recipiat,
« a me provisum est[2]. » Astutia quoque mendacioque usus est, quæ res a generosa Cæsaris indole abhorrebat: namque servos quosdam, quos edocuerat atque exornaverat, ut milites legionarii esse viderentur, in media oratione produxit, qui testarentur exercitum Romanum inopia premi[3]. Denique firmissimam, ubicumque orationem habuit, constantiam præ se tulit, quam probe sciebat plurimum semper efficere ad confirmandos vulgi animos, cum ducis animo inesse creditur. Quantum autem auctoritatis his omnibus rebus assecutus esset, demonstrant vituperationes quibus quadam die Gallorum mollitiem et ingratum erga se animum incusavit[4]: « Summam imperii se consulto nulli
« discedentem tradidisse, ne is multitudinis studio
« ad dimicandum impelleretur; cui rei propter
« animi mollitiem studere omnes videret, quod

[1] 29, 5 sq. — [2] 20, 12. — [3] 20, 8 sqq. — [4] 20, 5 et 12.

« diutius laborem ferre non possent.... Hæc, inquit, « a me beneficia habetis, quem proditionis insi« mulatis, cujus opera sine vestro sanguine tantum « exercitum victorem fame consumptum videtis... » Ubi vero de spe præclaræ illius victoriæ reportandæ se jam depulsum fore sensit, non potuit quin pavorem conciperet, discedentibusque jussu suo Alesia equitibus, ut civitates adirent atque omnes, qui ætate militari essent, ad bellum cogerent, salutem suam suppliciter commendavit[1]. « Sua in illos « merita proponit, obtestaturque ut suæ salutis « rationem habeant, neu se optime de communi « libertate meritum hostibus in cruciatum dedant. » Tum demum de salute Gallorum, qui secum obsidione premebantur, mentionem fecit : « Quod si « indiligentiores fuerint, millia hominum delecta « LXXX una secum interitura demonstrat. » Verum, devicto utroque exercitu, et quem Romani inclusum ingentibusque operibus circumvallatum tenebant, et qui ex omnibus Galliæ partibus ad oppidum obsidione eximendum convenerat, non quidem contra desperationem repugnavit, quod Romanorum constantia atque pertinacia dignum fuisset, qui semper, ut poetæ verbis utar, fortia adversis opposuerunt pectora rebus; sed magnanimum tamen se præstitit vitæque nobilissime neglegentem. Non enim de fuga neque de redintegrando bello cogitavit, sed, convocato concilio[2], « id bellum se suscepisse non suarum necessita« tum, sed communis libertatis causa demonstrat,

[1] 71, 3. — [2] 89, 1 sq.

« et, quoniam sit fortunæ cedendum, ad utramque « rem se illis offerre, seu morte sua Romanis « satisfacere, seu vivum tradere velint. » Ut igitur non sui parem fuisse Vercingetorigem, ita dignissimum qui a se vinceretur, declarat Cæsar.

Quæ cum ita sint, Cæsar, quam viam superiores monstrabant, quamque posteriores ingressi sunt latini rerum scriptores, secutus est in adhibendis orationibus. Eam enim utilitatem ex orationibus narrationi interpositis perceperunt illi, ut, qui status rerum quæque personarum indoles fuisset, verisimiliore et vividiore modo, inductis oratoribus, ostenderent, quam si de his rebus ipsi locuti essent. Illud tamen Cæsarem inter atque ceteros interest, quod hunc ille solummodo orationum fructum expetivit, reliqui quemdam præterea alium, scilicet ut opus exornarent quibusdam quasi luminibus, et oratoriæ suæ facultatis documenta legentium admirationi præberent.

PARS TERTIA

QUA ARTE CONSCRIPTÆ SINT ORATIONES.

Oratoriis virtutibus egregie floruisse Cæsarem declarant, non quidem ipsius orationes, quas nobis non servatas esse vehementer dolemus, sed virorum antiquorum testimonia; quibus viris, cum et earum rerum maxime periti fuerint, et ea Cæsaris scripta præsto habuerint, quæ tempus delevit, unde judicia de ejus genere dicendi facerent, gravissimam auctoritatem merito tribuimus. Hic non omnia exponere mihi in animo est, sed ea tantum, quæ sunt plurimi momenti [1]. Ciceronis igitur verba primum afferam, quæ ex litteris ad Cornelium Nepotem datis excerpsit tradiditque Suetonius [2]: « Quid? « oratorum quem huic antepones eorum, qui nihil « aliud egerunt? Quis sententiis aut acutior aut « crebrior? Quis verbis aut ornatior aut elegantior? » Cum illo judicio operæ pretium est hoc conferre, quod in libro *de Claris Oratoribus* ad Brutum Attico affinxit idem Cicero : « De Cæsare et ipse « (Atticus) ita judico et de hoc (Cicerone) hujus ge-

[1] Cf. de Cæsaris eloquentia J. A. Lisle, *De Caii Julii Cæsaris eloquentia*, Parisiis, 1852; et Kraner, op. cit. VIII, sq. — [2] *Cæs.* 55.

« neris acerrimo existimatore sæpissime audio, « illum omnium fere oratorum latine loqui elegan- « tissime [1]..... Cum ad hanc elegantiam verborum « latinorum..... adjungit illa oratoria ornamenta « dicendi, tum videtur tanquam tabulas bene pictas « collocare in bono lumine. Hanc cum habeat præ- « cipuam laudem, in communibus non video cui « debeat cedere. Splendidam quamdam minimeque « veteratoriam rationem dicendi tenet, voce, motu, « forma etiam magnificam et generosam quodam « modo [2]. » Consentit Quintilianus cum acerrimo illo eloquentiæ existimatore, ut Atticum paulo supra loquentem audivimus : « C. Cæsar si foro tan- « tum vacasset, non alius ex nostris contra Cicero- « nem nominaretur. Tanta in eo vis est, id acumen, « ea concitatio, ut illum eodem animo dixisse, quo « bellavit, appareat [3]. » Eamdem de oratoria Cæsaris præstantia opinionem paucis verbis concludit Tacitus [4] : « Nam dictator Cæsar summis oratoribus « æmulus ». Eamdem Suetonius quoque profert [5] : « Eloquentia militarique re aut æquavit præstan- « tissimorum gloriam aut excessit. » Ne multa, constat Cæsarem proximum Ciceroni facultate dicendi fuisse, duabusque potissimum laudibus præstitisse, scilicet acuta vi ac concitata et eleganti splendore.

Cogitantibus vero nobis, tum quam celeriter Cæsar *Commentarios de Bello Gallico* perfecerit, tum quam formam quodque genus orationum tantum non omnium, quas in eis inseruit, esse volue-

[1] 72, 252. — [2] 75, 261. — [3] X, 1, 114. — [4] *Ann.* XIII, 3. — [5] *Cæs.* 55.

rit, manifestum est eum non solum multiplices occasiones, quas inter rerum a se gestarum narrationem nactus erat, ostentandi quid in eloquentia posset, non arripuisse, sed etiam istiusmodi ostentationis suspicionem diligenter defugisse. Perperam tamen inde judicaret aliquis eas orationes arte omnino destitutas esse. Quanquam enim Cæsar oratoriam suam facultatem in *Commentariis* præ se ferre noluit, immo studiose occultavit atque dissimulavit, uno quidem excepto loco, orationem Critognati dico; fieri tamen non potuit quin divini illius ingenii signa eminerent. Itaque, quemadmodum eximii pictoris manum non solum tabulæ summa cura depictæ, verum etiam effigies paucis lineis raptim adumbratæ indicant; ita non solum ampla atque magnifica Critognati oratio, sed illæ quoque breves plerumque atque extenuatæ orationes, quæ in *Commentariis* passim occurrunt, summi oratoris artem demonstrant et deperditarum Cæsaris orationum, quæ non ossa tantum, ut ita dicam, sed corpus suci plenum vividoque colore ornatum erant, desiderium atque dolorem mirum in modum augent. Cujus artis indicia jam investigabimus, nonnullis exempli causa sumptis ex eis orationibus, quas Cæsar paulo fusius explicavit, repositaque, ut de ea nobis extremus sit sermo, Critognati oratione, pulcherrimo illo Cæsarianæ eloquentiæ monumento.

Primum Cæsar, utpote cum et subtilissimo ingenii acumine præditus sit et amplissimam rerum atque hominum scientiam comparatam habeat, omnia, quæ in unaquaque sunt causa vel ad confir-

mandum vel ad refellendum perspicit. Itaque orationes, quas vel a se vel ab aliis quibusdam habitas esse refert, ex eis semper constant, quæ maxime accommodata sunt ad eam rem efficiendam, quam ob rem est oratio, sive audientium mentes edocendo, sive animos permulcendo aut commovendo.

Quod ut declaretur, orationem primum inspiciamus, qua milites se confirmavisse tradit, terrore Ariovisti atque Germanorum perculsos [1]. Qui terror quantus fuerit, præclare Cæsar demonstravit [2]. Omnibus igitur rationibus enitendum erat imperatori ut, consilio convocato, ostenderet nihil esse timendum, nedum tantum periculum esset, quantum sibi milites, rumoribus Gallorum atque mercatorum commoti, finxissent. Itaque, postquam initio orationis eorum arrogantiam incusavit, qui « aut quam « in partem aut quo consilio ducerentur, sibi quæ« rendum aut cogitandum » putaverint, ostenditque callidissime, quamvis non dixerit, quam sit indignus viris fortibus terror ille, cum ne certum quidem sit bellum cum Ariovisto fore ; revocatis tali exordio animis ad pudorem derelicti officii præparatisque ad eam, quæ secutura est, orationis partem ; tum demum ad rem ipsam venit, ut timorem impugnet atque depellat. « Quid tandem vereren« tur? aut cur de sua virtute aut de ipsius diligen« tia desperarent? » Argumenta igitur jam nunc proferet, quibus comprobet neque eam esse Germanorum virtutem, quam superare nequeat Roma-

[1] I, 40. — De hac oratione, Lisle (op. cit. 15 sqq.) fusius disputavit et, quo melius Cæsaris artem declararet, cum ea contulit orationem quam Dio Cassius (XXXVIII, 36-46) de eisdem rebus Cæsari affinxit. — [2] I, 39.

norum virtus, et de itinerum atque rei frumentariæ difficultatibus se ipsum diligenter cogitavisse. Priorem partem ut confirmet, in mentes audientium revocat bis ab exercitibus Romanis devictos esse Germanos, primum Cimbrorum et Teutonorum bello, mox « in Italia servili tumultu, quos tamen « aliquid usus ac disciplina, quam a nobis acce- « pissent, sublevarent » ; præterea Helvetios, qui Germanos sæpenumero superavissent, ipsis pares esse non potuisse. Fatetur quidem adversum prœlium a Gallis cum Germanis factum esse, sed eam Ariovisti victoriam magis rationi ac consilio quam virtuti tribuit ; cui rationi adversus exercitum Romanum haudquaquam locus esse potest. Quæ confirmatio non solum numero, sed natura quoque et vi argumentorum valet : ea enim omnia ejusmodi sunt, ut ab eis, qui audiunt, et facile intellegantur et maximi momenti æstimentur, cum et admodum simplicia sint et de recentis temporis rebus ducta. Multo brevior est alterius partis confirmatio : namque intellegit Cæsar, depulso hostium terrore, jam partam esse orationi suæ victoriam neque magnam difficultatem reliqua præbitura. Ea cum ita sint, satis habet, redintegratis de arrogantia militum vituperationibus, asseverare frumenta et a sociis subministrari et jam esse in agris matura ; de itinere vero nihil aliud dicit, nisi eos brevi tempore judicaturos quale sit : namque in eo est ut, neglectis eorum rumoribus, qui milites non fore dicto audientes referunt, signum det profectionis ad Ariovistum. Postquam autem eis, quæ supra sunt, militum animos impulit et ad hostium contemptum

et ad sui admirationem, quippe quem seditionis minæ haudquaquam commoverint ; nunc, ut plenissime perficiat id, quod est orationis suæ propositum, acerrimos æmulationis stimulos perorando adhibet : « Quod si præterea nemo sequatur, tamen « se cum sola decima legione iturum, de qua non « dubitaret, sibique eam prætoriam cohortem fu« turam. » Num inveniri quis tam morosus possit, qui orationi illi quidquam ad rationum vim et opportunitatem deesse judicet? Atqui difficillimis in rebus versabatur Cæsar : illo enim adversus Germanos bello injussu populi senatusque suscepto, neque legum majestate, neque senatus consultorum auctoritate niti poterat. Nihilominus ex illa, ut ita dicam, egestate amplissimas opes exprompsit.

Eam in invenienda orationis materia vim eamque opportunitatem non eæ tantum, quas sibi, sed eæ quoque, quas ceteris tribuit, orationes demonstrant. Vercingetorigis contionem exempli gratia afferam, qua proditionis insimulatus se ipse apud Gallos defendit[1]. Cujus accusationis ea causa fuit, « quod « castra propius Romanos movisset, quod cum « omni equitatu discessisset, quod sine imperio « tantas copias reliquisset, quod ejus discessu Ro« mani tanta opportunitate et celeritate venissent » ; (neque tamen cum Gallis eo die prœlium commiserant[1]. « Non hæc omnia fortuito aut sine consilio « accidere potuisse. » Itaque contendebant Galli : « regnum illum Galliæ malle Cæsaris concessu « quam ipsorum habere beneficio[2]. » Quod crimen

[1] VII, 20. — [2] Ibid. 1 sqq.

ut deleat Vercingetorix, primum comprobat omnia illa facta, quibus proditionis consilium indicari videtur, haudquaquam jure sibi vituperationi data esse, cum ob ea gratiam contra meritus sit. Namque castra movit inopia pabuli ipsorumque hortationibus adductus; ut propius Romanos moveret, opportunitas loci persuasit; eo in loco equitum nulla erat utilitas, erat illic, quo erant profecti; nulli discedens imperium tradidit, ne is temere prœlium committeret; Romanorum adventus id præstitit commodi, ut eorum paucitatem atque ignaviam ipsi cognoscerent. Tum de ipso proditionis consilio disserit, ut illud minime verisimile esse declaret. Quod imperium victoria, quæ jam explorata est, habere potest, cur a Cæsare per proditionem peteret? Postremo, falsis productis testibus, qui ostendant desperatas esse Romanorum res, non jam se ipse defendit, sed ingratum Gallorum animum vehementer incusat. Confidit enim, neque id immerito, tam valentes fuisse rationes, quas ad omnia opposuit, ut nihil omnino accusationis illius supersit.

Non semel evenit ut Cæsar duos oratores de eadem re diversas sententias proferentes induxerit eorumque orationes tradiderit, vel, ut verius dicam, composuerit. Quod genus mihi quidem videtur optimas illi suppeditavisse occasiones, ubi quantum in ea elôquentiæ parte, de qua nunc agimus, efficere posset, præcipue ostenderet. Non igitur inutile est ejusmodi par orationum inspicere. Quamobrem controversiam illam insignem eligam, quæ Cottam inter et Sabinum legatos in consilio exstitit, ubi de

Ambiorigis mandatis deliberatum est[1]. Quisnam rerum tunc fuerit status omnes noverunt. Postquam hiberna legatorum Ambiorix, dux Eburonum, de improviso adortus frustra oppugnavit, ut fiat colloquii copia postulat atque impetrat. Tum Romanos plena perfidiæ oratione, de qua paulo infra disseremus, hortatur uti castra relinquant et ad Ciceronis vel Labieni hiberna pergant; quod ea mente facit, ut, positis in itinere insidiis, impeditos atque imprudentes aggrediatur. Res a legatis ad consilium defertur. Cotta compluresque tribuni militum atque centuriones primorum ordinum non deserenda hiberna censent, Sabinus accipiendas Ambiorigis condiciones. Hæc quidem sententia, quoniam vicit, a Cæsare fusius explicata est, altera brevius conclusa; rationes vero, quæcumque in utramque partem vel prolatæ fuerunt vel proferri potuerunt, retulit. Cotta igitur atque ii, qui ejusdem sunt opinionis participes, contendunt primum profectionem neque sine temeritate neque secundum Cæsaris jussa fieri posse; deinde nihil esse in mora periculi, cum et hostium vim munitis hibernis sustinere valeant et re frumentaria non premantur; præterea subsidia, perlato ad Cæsarem aut ad reliqua hiberna obsidionis nuntio, conventura; postremo, quod gravissimum est argumentum quodque ideo ad finem servavit Cæsar, turpe esse « auctore hoste de summis rebus capere con« silium. » Num aut aliis aut validioribus argumentis ea causa defendi potuit? Minime vero, ab

[1] V, 28 sqq.

eo quidem, qui arbitraretur, quam fuisse Cottæ opinionem manifestum est, omnia verba Ambiorigis falsa esse, et præcipue illud: « Omnibus hiber« nis Cæsaris oppugnandis hunc esse dictum diem, « ne qua legio alteræ legioni subsidio venire pos« set[1]. » At Sabino vera esse illa persuasum est. Quare argumenta ei non deficiunt, quibus collegæ sententiam impugnet atque confirmet suam. Contra Cottam demonstrat primum quanto cum periculo proficiscendi mora interponeretur: fore ut augeretur hostium multitudo aut aliquid calamitatis proxima hiberna acciperent, nedum ipsis subsidio esse possent ; deinde nullam in Cæsare ponendam esse spem, quippe cujus profectionem in Italiam certa indicia declarent ; tum se non hostem auctorem consilii, sed rem ipsam habere : Rheni vicinitatem, Germanorum ob superiores ex Ariovisto reportatas victorias, Gallorum ob amissam libertatem, dolorem, Ambiorigis non sine certa spe initum consilium ; adeo ut adhibenda esse videatur fides orationi ejus. Postquam hac argumentatione orationi Cottæ auctoritas omnis adempta est, quæ sint suæ sententiæ commoda exponit Sabinus : in utramque partem tutam eam esse : si enim conjuratio, quam enuntiaverit Ambiorix, non sit facta, cum proxima legione sese sine periculo conjuncturos esse ; si revera facta sit, positam in celeritate salutem ; cum Cottæ consilium vel cladem, si conjuratio sit facta, vel certe longinqua obsidione famem, si non facta sit, necesse sit sequi. Postremo

[1] 27, 5.

orationis summam paucis his verbis colligit : « Hi « (milites).... abs te rationem reposcent, qui, si per « te liceat, perendino die cum proximis hibernis « conjuncti communem cum reliquis belli casum « sustineant, non rejecti et relegati longe ab ceteris « aut ferro aut fame intereant. »

Eis exemplis, quæ supra attulimus, id unum ostendere animum induximus, Cæsarem summa cum opportunitate valida semper argumenta, ex quibus constarent orationes, invenisse. Potuerunt eadem occasiones præbere, ubi judicaremus qua calliditate orationum partes disposuerit. Non enim solum numero et vi valent argumenta, sed collocatione quoque et conjunctione. Quam Cæsar ordinandæ orationis artem ita, ut singulæ ejus partes non quemlibet locum, sed suum habeant, penitus tenebat ; neque tam in ea re curabat ut doctorum præceptis inserviret, quam ut rerum convenientiam sequeretur. Duobus exemplis adhibitis declarabitur virum illum, virtutibus prorsus diversis præditum, non magis in acie, quam in oratione, instruenda præstitisse ; quorum unum erit oratio Diviconis Helvetii ad Cæsarem [1], alterum Ambiorigis ad Cottæ et Sabini legatos oratio [2].

Egregiam Cæsarianæ in disponendis partibus artis speciem suppeditat Diviconis oratio, quamvis et mediocri sit amplitudine et manca quodammodo, omissis exordio atque propositione. Id autem exordium eaque propositio, qualia fuerint non difficile est intellegere. Cum enim, priore accepta clade, Divico

[1] I, 13, 3 sqq. — [2] V, 27, 2 sqq.

ad Cæsarem de pace missus esset, quid aliud initio orationis eloqui potuit atque debuit, nisi id ipsum, se condiciones pacis Helvetiorum jussu offerre? Quod adeo promptum atque apertum erat, ut Cæsar prætermittendum esse jure existimaverit; confirmationem vero refutationemque et perorationem, quippe quæ ad exprimendam Helvetiorum arrogantiam multum valerent, tradidit. Confirmationis duæ sunt partes. Primum ostendit Divico quid commodi Romani, concessa Helvetiis pace, capturi sint; deinde quid incommodi passuri, si bello eos persequi perseverent. Cur posteriorem, non priorem locum huic parti tribuerit Cæsar, ea causa fuit, quod multo gravior quam illa ei esse visa est. Parvi enim momenti est commodum illud, quod, facta pace, Romanis futurum confirmat Divico, scilicet « in eam partem ituros atque ibi futuros Helvetios, « ubi Cæsar eos constituisset atque esse voluisset; » incommodi absentiam dicat aliquis, verius quam commodum. Itaque ut Cæsaris animum commoveat, terrore belli magis quam pacis cupiditate niti decet Helvetiorum oratorem, præsertim cum is Divico sit, qui bello Cassiano, quo Romanus exercitus cæsus erat, dux Helvetiorum fuit[1]. Quare non solum posteriore confirmationis parte, sed refutatione quoque, quæ cum illa arctissime conjuncta est, terrorem illum intentat. Ubi enim explicavit quæ sint Romanis concedendæ pacis rationes, continuo rationem summopere infirmat, quæ eos ut in bello perseverent maxime hortari possit, id

[1] Cf. I, 13, 2.

est, recentis, qua Cassianæ cladis infamiam deleverant, victoriæ fiduciam. Quam refutationem optime excipit peroratio, qua minaciter contendit Divico reliquum bellum non ejus victoriæ simile futurum Romanis, sed Cassianæ cladis: « Quare « ne committeret ut is locus, ubi constitissent, ex « calamitate populi Romani et internecione exerci- « tus nomen caperet aut memoriam proderet. » Itaque quam aptissime omnia collocata sunt atque cohærent.

Ambiorigis quale fuerit in Romanos consilium, paulo supra demonstravimus, ubi de Cottæ et Sabini orationibus disseruimus. Quam ei affinxit Cæsar orationem, ea illuc pertinet, ut legatis persuadeat optimum ipsis esse hiberna relinquere. Neque tamen committit ut id initio orationis statim declaret ; cum enim pridie ad castra infensis copiis venerit et oppugnationem acerrime intulerit, fieri non potest quin Romanis sit invisus atque suspectus. Quare verba ejus fidem non sunt factura, nisi, priusquam decedendi e castris condicionem offerat, odium atque suspicionem sustulerit. Ut igitur, quam sibi ipse auctoritatem ademit, restituat, amplam diligentemque præparationem præmittit, cujus duæ sunt partes. Primo quam multis beneficiorum vinculis obligatus Cæsari sit exponit, ea mente, ut gratiam, quam pro tantis meritis par esset ipsum habere, revera habere existimetur. Num verisimile est virum erga quem Cæsar ea benevolentiæ documenta præstiterit, in Cæsaris legatos militesque atrocius quidquam meditari ? Deinde autem se suamque civitatem de subita illa castrorum oppu-

gnatione purgat, quæ pro grati animi indicio haudquaquam haberi potest : invitum fecisse se asseverat, coactu civitatis, neque civitatem sponte sua et voluntate bellum suscepisse, sed quod repentinæ Gallorum conjurationi resistere non potuerit. Ea conjurationis mentione transitum ad confirmationem parat. Quamvis vero sperare possit se jam suspicionem fraudis sustulisse, etiamnunc tamen de propositione tacet, ne castrorum desertio, ut non periculosa, ita inutilis atque turpis videatur. Eam igitur, priusquam uno verbo attingat, necessitate injungi comprobare vult. Quamobrem fingit commune consilium a Gallis initum esse, ut omnia Cæsaris hiberna oppugnarent idque eodem ubique die fieret, « ne « qua legio alteræ legioni subsidio venire posset ; » præterea « magnam manum Germanorum conduc« tam Rhenum transisse ; hanc affore biduo. » Ea cum ita sint, quid proponit Ambiorix, vel potius precatur ? « Monere, orare Titurium pro hospitio, « ut suæ ac militum saluti consulat. » His enim verbis primo prodit propositio, quibus et necessitas rei declaratur et infamia tegitur ; paulo infra, quid Romanorum salutis causa faciendum sit, clarius exponit Ambiorix : « Ipsorum esse consi« lium, velintne prius, quam finitimi sentiant, « eductos ex hibernis milites aut ad Ciceronem aut « ad Labienum deducere. » Animadvertendum illud quoque est, Ambiorigem, cum profectionis necessitatem maxime validis argumentis confirmaverit, eam necessitatem non pro re, de qua jam exploratum omnino sit, sed pro re, de qua deliberare oporteat legatos, proponere : viam ostendit, quæ, sua

quidem sententia, ad salutem ducit; inspiciant ipsi idemne sibi videatur. Vixdum autem propositionem illam enuntiavit, cum perorando operam dat sedulo, ut insidiarum suspicionibus ne veniendi quidem in mentes tempus concedat et orationis fidem corroboret atque augeat; namque admodum probabiles causas profert cur Romanos ad proficiscendum hortetur, scilicet civitatis suæ hibernis levandæ studium et gratum erga Cæsarem animum. Quam orationem arte ideo magis laudanda instruxit atque ordinavit Cæsar, quod eam artem, adhibita quadam quasi confusione ac turba, dissimulavit. Unum enim confirmationis argumentum (« Esse Galliæ commune consilium : omnibus hi« bernis Cæsaris oppugnandis hunc esse dictum « diem, ne qua legio alteræ legioni subsidio venire « posset ») præparationi interposuit, alterum (« Ma« gnam manum Germanorum conductam Rhenum « transisse : hanc affore biduo), » enuntiata propositione (« Monere, orare Titurium pro hospitio, ut « suæ ac militum saluti consulat »), tum demum adjecit; mox propositionem clarioribus verbis repetivit (« Ipsorum esse consilium, velintne... eductos ex « hibernis milites aut ad Ciceronem aut ad Labie« num deducere »), novoque argumento quodammodo confirmavit, cum hibernorum illorum vicinitatem demonstret (« quorum alter millia passuum « circiter quinquaginta, alter paulo amplius ab iis « absit »). Hanc confusionem, vel potius confusionis speciem, eo consilio adhibuit Cæsar, ut sollicitudinis atque trepidationis simulationem, qua credendum est Ambiorigem usum esse, melius exprime-

ret. Quare ea dispositio eximium callidi oratoris artificium indicat, nedum careat arte.

Restat ut de elocutione pauca disseramus. Si quis *Commentarios* attente perlegit, eum profecto non fugit orationes atque narrationes, non ita quidem dissimili inter se dicendi genere esse, sed quodam tamen modo differre, ut eumdem ubique scriptorem agnoscas, animadvertas paulo altius ibi insurgentem, ubi orationes refert. Quamvis enim, adhibito tantum non semper obliquo, quem dicunt, sermone, luculenter professus sit se oratorii stili ornamentorum minime appetentem atque studiosum fuisse, tamen ipsa re adductus est, quippe qui oratorum dicta exponeret et oratoria facultate atque exercitatione plurimum valeret, ut sæpenumero ejusmodi locos copia, concitatione, splendore distingueret et supra narrationis, ut ita dicam, humilitatem tolleret. Quo fit ut de narrationibus verius quam de orationibus notissimum illud Cicero fecerit judicium : « Atque etiam *Commentarios*... scripsit rerum suarum, valde quidem probandos : nudi enim sunt, recti et venusti, omni ornatu orationis tanquam veste detracta [1]. »

Præcipuum copiæ dicendi signum, quam et laudibus extulisse scimus Cæsarem [2] et quædam, quas servavit A. Gellius [3], ejus orationum reliquiæ eximie repræsentant, sententiæ sunt duplicatis verbis expressæ. Hujus generis, quo in primis abundat Cicero, creberrima occurrunt exempla in *Commen-*

[1] *Brut.* 75, 262. — [2] Cf. Cic. *Brut.* 72, 253. — [3] IV, 16, 8 ; V, 13, 6 ; XIII, 3, 5. Cf. hæc et reliqua Cæsaris orationum fragmenta in *Cæsare* Kraneri, (Lipsiæ, Tauchnitz, 1861), p. 391 sqq.

tariorum orationibus, nedum summa cura indaganda sint. Magnam præcipue suppeditant eorum frequentiam duæ orationes de quibus jam supra locuti sumus. Namque in Diviconis Helvetii oratione sunt hæc [1]: « In eam partem ituros atque ibi « futuros Helvetios, ubi eos Cæsar constituisset « atque esse voluisset ;... reminisceretur et veteris « incommodi populi Romani et pristinæ virtutis « Helvetiorum... Se ita a patribus majoribusque suis « didicisse, ut magis virtute contenderent, quam « dolo aut insidiis niterentur. Quare ne committe- « ret ut is locus... ex calamitate populi Romani et « internecione exercitus nomen caperet aut memo- « riam proderet ». Siccitas ea profecto non est breviter concludentis verba a quodam viro facta. Eamdem porro verborum abundantiam exhibet oratio Cæsaris ad milites [2]: « Primum aut quam in par- « tem aut quo consilio ducerentur, sibi quæren- « dum aut cogitandum putarent;... cognitis suis « postulatis atque æquitate condicionum perspecta, « eum neque suam neque populi Romani gratiam « repudiaturum. Quod si furore atque amentia im- « pulsus... Quos tamen aliquid usus ac disciplina... « sublevarent... Si quos adversum prœlium ac fuga « Gallorum commoverent;... magis ratione et con- « silio quam virtute vicisse. Cui rationi contra ho- « mines barbaros atque imperitos locus fuisset... « Quod non fore dicto audientes neque signa laturi « dicantur ;... utrum apud eos pudor atque officium « an timor plus valeret. » Equidem fatendum est

[1] I, 13, 3 sqq. — [2] I, 40.

hujusmodi locos ea dicendi copia omnino esse, quæ verba apud magnum hominum numerum facta decet; neque orationis ossa tantum præbere, sed corpus quoque, idque plenum et formosum, obliqui sermonis quodam quasi velo obtectum : quod si quis detrahat, id est, modos et personas invertat, vera absolutaque pateat oratio.

Copia quidem dicendi non orationis cujusdam neque oratoris propria virtus est, sed commune totius eloquentiæ ornamentum ; vehementia autem atque splendor neque omnem personam neque omnem orationem decent. Quare concitatæ aut magnificæ elocutionis exemplorum frequentiam non tantam *Commentarii* suppeditant, quantam copiosæ. Vehemens dicendi genus Cæsar eis barbaris potissimum affingit, quorum mores arrogantes atque feroces fuisse videri vult, eamque vehementiam per imperativum modum vel per interrogationes præcipue significat. Imperativo modo tantum non assidue utitur Divico[1] : « ...Sin bello persequi « perseveraret, reminisceretur... Quod improviso « unum pagum adortus esset..., ne ob eam rem « aut suæ magnopere virtuti tribueret aut ipsos « despiceret.... Quare ne committeret ut is locus... » Item Ariovisti verbis magnum addunt impetum interrogationes[2] : « Quid sibi vellet (Cæsar)? Cur in « suas possessiones veniret? » Neque tamen ipse abstinet eo genere Cæsar, ubi res concitationem postulant ; propositionem, ut exemplo utar, contionis illius, qua terrore perculsos militum animos se

[1] I, 13, 3 sqq. — [2] I, 44, 8.

erexisse atque confirmavisse refert, per interrogationem enuntiat: « Quod si furore atque amentia « impulsus bellum intulisset (Ariovistus), quid « tandem vererentur? aut cur de sua virtute aut « de ipsius diligentia desperarent[1]? » Magnificentiam vero stili, eam quidem, quæ ex sententiarum sublimitate magis quam ex apparatu verborum constat, præclaro exemplo demonstrat locus hic ex ea oratione excerptus, qua Cæsar Diviconi respondet: « Consuesse enim deos immortales, quo gra- « vius homines ex commutatione rerum doleant, « quos pro scelere eorum ulcisci velint, his secun- « diores interdum res et diuturniorem impunita- « tem concedere[2]. » Præterea hæc oratio tota dignitatis est atque animi excelsitatis et magnitudinis plena; quibus virtutibus omnes fere a Cæsare habitæ orationes, quamvis non tam egregie splendeant, commendantur tamen. Barbarorum autem orationibus gloriosum quemdam colorem nonnunquam inducit ita, ut pro grandibus tumidi videantur; velut ubi Germani, qui trans Rhenum in Galliam transierunt, apud eum asseverant[3]: « Sese unis Sue- « bis concedere, quibus ne dii quidem immortales « pares esse possint; reliquum quidem in terris « esse neminem, quem non superare possint »; aut ubi Vercingetorix, post Avarici expugnationem atque ruinam, ne se Galli admodum animo demittant, confirmat se[4] « unum consilium totius Gal- « liæ effecturum, cujus consensui ne orbis quidem « terrarum possit obsistere. » Sinceram tamen di-

[1] I, 40, 4. — [2] I, 14, 5. — [3] IV, 7, 5. — [4] VII, 29, 6.

cendi magnitudinem verumque splendorem a barbaris Cæsar non omnino abjudicavit : quod tantum abest ut fecerit, ut locum eo genere maxime omnium conspicuum oratio Critognati Arverni præbeat, ad quam nunc jam venimus, ut præstantissimum Cæsarianæ in *Commentariis de Bello Gallico* eloquentiæ specimen contemplemur.

In concilio Gallorum Alesiæ de exitu suarum fortunarum, consumpto omni frumento et labante auxiliorum spe, consultantium, postquam variæ dictæ sunt sententiæ, « quarum pars deditionem, « pars, dum vires suppeterent, eruptionem cense- « bat ; » verba facit Critognatus Arvernus, ut sententiam nefaria crudelitate singularem confirmet ; quæ ejusmodi est, vitam, nulla eruptione facta, dum adveniant auxilia, eorum corporibus tolerandam esse, « qui ætate ad bellum inutiles[1] » videantur. Initio orationis, paucis verbis odio et contemptu flagrantibus, eorum sententiam aspernatur ac respuit, « qui turpissimam servitutem deditionis « nomine appellant, » seque cum his tantum acturum pronuntiat, « qui eruptionem probant. » Qua de re futura sit oratio luculente hoc exordio declaratur. Prima igitur parte Critognatus adversam opinionem refutabit, altera suam confirmabit : quæ qualis sit non extemplo exponit, ne audientes immanitate rei commoti vocem ipsius obstrependo opprimant; tum demum exponet, cum eruptionem haudquaquam faciendam esse, atque ideo ad illam, quamvis immanem, vitæ tolerandæ rationem confu-

[1] VII, 77.

giendum necessario esse comprobaverit. Eadem causa eademque arte in Ambiorigis oratione propositionem ad optimum tempus reservatam supra demonstravimus. Refutationis duo sunt argumenta. Primum enim contendit Critognatus ignaviæ, non fortitudinis documentum esse eruptionis cupidinem : nam « qui se ultro morti offerant, facilius « reperiuntur, quam qui dolorem patienter ferant. » Brevitate conspicuus est hic locus ad sententiarum vim et gravitatem exprimendam optime accommodata. Deinde demonstrat proditionem patriæ suadere eos, qui eruptionem suadent. Quam rationem adeo splendidis elocutionis ornamentis illustrat, ut nusquam, non dico in *Commentariorum* orationibus, sed in summorum oratorum maxime politis atque perfectis operibus, quidquam nagnificentius atque elatius reperiri posse confidam. « In consilio « capiendo omnem Galliam respiciamus, quam ad « nostrum auxilium concitavimus. Quid, hominum « millibus LXXX uno loco interfectis, propinquis « consanguineisque nostris animi fore existimatis, « si pæne in ipsis cadaveribus prœlio decertare « cogentur? Nolite hos vestro auxilio exspoliare, « qui vestræ salutis causa suum periculum negle« xerunt, nec stultitia ac temeritate vestra aut « animi imbecillitate omnem Galliam prosternere et « perpetuæ servituti subjicere. » Nonne, cum ea legimus miramurque, Ciceronis illi de Cæsare judicio planissime assentimur : « Splendidam quam« dam minimeque veteratoriam rationem dicendi « tenet... »? Quid grandius excogitari potest quam illa concitatæ ad arma Galliæ, in cadaveribus civium

suorum de summa rerum et salute sua decertantis, mox prostratæ et servitutis jugo subjectæ, consultantium oculis præposita imago ? Quam præclare Critognatus utitur eloquentiæ potentia, quæ rem quamlibet arbitratu suo vel auget atque extollit vel imminuit atque abjicit ! Postquam enim eorum virtutem, qui vitæ jacturam facere parati sunt, contemptim detrectavit ; cladem qua patriam, eruptione facta, opprimerent, mirum in modum amplificat et mortuorum acervos, ut ita dicam, exaggerat, rursusque, durissimis nominibus, « stultitia, temeritas, animi imbecillitas », adversarios castigat. At enim, dicant illi, cum ad diem non venerint civitatum auxilia, nonne jure dubitamus « de eorum fide constantiaque » ? (Ipsa Cæsaris verba consulto hic ascripsi, ut copiæ exemplum in transitu exceptum afferrem, cui vocabula paulo supra duplicata adjungere licet, « stultitia ac temeritate). » Quod argumentum ut deleat Critognatus, excusationem præbet illorum, non quidem cur non jam venerint, qua de re callide tacet, sed cur nullis nuntiis animos eorum, qui obsidionem tolerant, confirmaverint : id fieri non posse, quippe cum Romani munitionibus omnes aditus præseptos habeant ; quin etiam appropinquare eorum adventum contendit : nulla enim alia causa nisi timore ejus rei Romanos tanta opera suscepisse et assidue promovere. Nunc ad confirmationem sententiæ suæ devenit Critognatus. « Quid igitur mei consilii est ?
« Facere.... » Quid tandem ? « Quod nostri majores
« nequaquam pari bello Cimbrorum Teutonumque
« fecerunt. » Quænam sit illa res, quam faciendam

censet Critognatus, etiam nunc nescimus : scimus tamen eam novam atque inauditam non esse, cum majorum exemplo commendetur; scimus præterea id exemplum a majoribus editum esse ob periculum patriæ multo minus formidandum. Itaque Critognatus, antequam rem ipsam declaret, rei necessitatem validissimis rationibus comprobat, confirmationemque propositioni præmittit. Neque miramur eum tanta prudentia incedendum existimavisse, ubi quid fecerint majores quidque ideo faciendum sit audimus. Enuntiata propositione, ad confirmationem statim redit Critognatus, ut jam supra allatum argumentum, verba « nequaquam pari bello Cimbrorum Teutonumque » explicando, sententiæ suæ atrocitati contra audientium indignationem velut firmissimum propugnaculum objiciat : « Nam quid illi simile bello fuit? Depopu-
« lata Gallia Cimbri magnaque illata calamitate,
« finibus quidem nostris aliquando excesserunt at-
« que alias terras petierunt : jura, leges, agros, li-
« bertatem nobis reliquerunt. Romani vero quid pe-
« tunt aliud aut quid volunt, nisi, invidia adducti,
« quos fama nobiles potentesque bello cognove-
« runt, horum in agris civitatibusque considere at-
« que his æternam injungere servitutem? » Hic profecto abundantiam verborum, hic vehementiam quoque dicendi potissimum animadvertimus ; quibus ceterum virtutibus tota hæc oratio insignis est, ubi præcipue conspicitur interrogationis frequentia, aptissimæ ferocibus animi affectibus figuræ, qualis est amor ille patriæ ac libertatis, quo inflammatus est Critognatus. Perorando, extrema verba,

quæ modo attulimus, « æternam injungere servitutem, » exemplo confirmat Galliæ finitimæ, quæ in provinciam jam redacta est, quamque audientium oculis, ut ita dicam, proponit « securibus subjectam. »Nemo, ut opinor, non fateatur, ejusmodi esse eam orationem, quæ cum pulcherrimis Livii Tacitique orationibus merito comparari possit. Id unum in reprehensionem incurrit, majori arte eam compositam atque scriptam esse, quam barbari viri personæ conveniens fuit: quemadmodum Galgaco Britanno Tacitus [1], ita Critognato Arverno Cæsar eloquentiæ suæ opes benignius impertivit.

Quamvis igitur amissarum Cæsaris orationum jacturam minime restituant orationes quæ sunt in *Commentariis de Bello Gallico*, haud spernenda tamen oratoriæ ejus facultatis documenta suppeditant, confirmantque opinionem quam de ea antiqui auctores memoriæ prodiderunt. Cujus virtutes eloquentiæ, sive barbarum incultumque hominem inducit loquentem, sive se ipse eximie natura præditum atque studiis expolitum, easdem ubique, ex consuetudine veterum rerum scriptorum, exhibet. Qua causa cum ceteris, quas supra explicavimus, rationibus conjuncta manifestum fit eum in orationibus tradendis utilitatis magis quam veritatis studiosum fuisse, neque ulla re a ceteris differre, nisi forma orationum tantum non omnium, quæ ingenii ostentationis suspicionem excludit atque etiam quamdam habet in se veritatis similitudinem, qua cursim quidem legentes decipi possint.

[1] Cf. Tac. *Agric.* 30.

CONCLUSIO

Ut planissime pateat illud, quodcumque hac nostra investigatione consecuti sumus, paucis, antequam finem scribendi faciamus, concludendum videtur quid in adhibendis orationibus Cæsari cum præcipuis Græcis Latinisque rerum scriptoribus commune sit, quid ei proprium.

Primum eo cum ceteris consentit Cæsar, quia non, quot orationes habitæ fuerunt, tot retulit, sed quasdam, quas insereret, elegit, alias prætermisit. Quam ad rem cuncti, de quibus loquimur, scriptores eadem causa adducti sunt, eamdemque in eligendo viam tenuerunt. Non enim temere nec fortuito hanc exposuerunt orationem, illam neglexerunt, sed eas tantummodo tradendas censuerunt, ex quibus aliquam operi utilitatem existimaverunt se esse percepturos.

Præterea Cæsarem in tradendis orationibus non ubique veritatis observantissimum fuisse constat. Quæ altera ipsius inter et ceterorum rationem similitudo intercedit. Quamvis enim nulla sit ex omnibus eis, quas retulit, orationibus, de qua aliquam notionem accipere prorsus non potuerit, meliorque ideo fuisse videatur ejus quam ceterorum condicio fere omnium; sæpe tamen plura eum exponentem deprehendimus, quam quæ cognovit. Quo

præcipue fit, ne alias enumerem causas, ut jure suspicemur eum ne tum quidem, cum potuit, meram expressisse orationum veritatem.

Ut vero Cæsar concessam antiquis rerum scriptoribus fingendi in orationibus licentiam et ipse usurpavit, ita multo minora, quam ex omnibus quilibet, hujus modi mendacia in se admisit; quippe qui orationes sæpissime paucis verbis comprehenderit, raro totas vel fere totas exposuerit, tantum non semper sermonem obliquum adhibuerit, quo significatum esse videtur eum sententiarum solum, non verborum veritatem exprimere in animum induxisse. Hoc igitur a ceteris differt, qui amplissimarum orationum et sententias et verba ex se ipsi plerumque protulerunt.

Cur veteres rerum scriptores in historiis orationes inseruerint, non ea sola neque præcipua causa fuit, quod orationes ibi manifestum ipsis fuit revera habitas esse, ubi orationes in narratione occurrunt. Namque non tam studuerunt verissimam vitæ hominum imaginem orationibus adhibitis perficere, quam utilitatem quamdam consequi, quæ in eo maxime erat, ut rerum causas et personarum mores specie magis vivida depingere possent, quam si ipsi de eis locuti essent. Cujus consilii particeps omnino fuit Cæsar. Orationibus enim id et quæsivit et adeptus est, ut se optimum civem atque imperatorem fuisse demonstraret per eos annos, per quos Galliam provinciam obtinuit, et, suorum barbarorumque adumbratis imaginibus, hujus imaginis suæ decus augeret atque exornaret. Itaque in *Commentariis de Bello Gallico*, tanquam in ceterorum

historiis, toti orationum rationi, quæ ex ipsa materiæ natura plane, ut ita dicam, profluxisse videntur, subest quoddam quasi artificium et magis reconditum propositum.

Illud vero artificium ceteri, qui quidem nobis maxime sunt insignes, ad historiæ utilitatem converterunt, ut plenam dilucidamque rerum, quas conscribebant, explicationem legentium mentibus proponerent; atque eo consilio falsas quasdam fictasque a se partes addiderunt, ut inde totius operis major quodammodo fieret veritas; cum Cæsar contra id unum eodem artificio quæsiverit, ut suum commodum curaret atque augeret. Quæ differentia non solum a ceterorum orationibus Cæsaris orationes dividit, sed etiam hujus *Commentarios* ab illorum historiis.

Attamen plerique eorum non omnino sui immemores atque in famam neglegentes fuere, immo operam sedulo dederunt ut hominibus æqualibus posterisque præstantis ingenii documenta præberent, idque cum in omnibus librorum partibus, tum potissimum in orationibus fecerunt. Quapropter accuratissima diligentia conscriptas orationes et eximiis eloquentiæ ornamentis splendentes in narratione rerum inseruerunt, quæ non solum historiæ utilitatem quam paulo supra demonstravimus, sed etiam historiæ auctori oratoriam quamdam laudem suppeditarent. Cujus modi studium Cæsari nullum fuit. Ubi enim *Commentarios de Bello Gallico* edidit, illud expetivit, non ut peritum scriptorem et oratorem, sed ut egregium civem et imperatorem ipsum esse existimarent cives sui,

quibus maxime res a se gestas composuit. Breviter igitur conclusas et quasi extenuatas orationes fere semper exhibuit, quæque obliquo sermone quodammodo dissimularentur et cum narratione confunderentur. Neque solum non arripuit, sed etiam summopere vitavit occasiones oratoriæ facultatis ostentandæ, ne qua mendacii artificiique opinio in legentium animis fieret.

Sæpe enim orationes illæ minus videntur artis habere, quam revera habent. Si quis properanter *Commentarios* percurrit, vel, quamvis attento animo, alia prorsus causa legit, quam ut scribendi laudes investiget, eum profecto in se minime convertunt. Diligenter vero eas inspicienti, et argumentorum vi atque opportunitate, et dispositionis sapientia atque calliditate, et nonnunquam etiam stili virtutibus, oratorem summis oratoribus parem indicant.

Neque tamen, si quis acerrimus legum artis fautor atque defensor est, apud eum Cæsar omnino reprehensione caret. Quam enim culpam veteres rerum scriptores frequentissime commiserunt, nempe ut orationes, accuratas quidem et pulchras, sed personæ oratoris parum apte accommodatas, exhiberent, ab ea culpa ipse non ubique abest, quanquam forma effectum est, qua orationes tantum non omnes tradidit, ne in hujusmodi vituperationem sæpe incurrere posset. Namque orationi illi, quam Critognato affinxit,[1] ex omnibus, quas inseruit, multo præstantiori, id unum vitio jure datur, eam nimis esse perfectam, quam ut a barbaro et inculto homine dicta fuisse feratur.

Consuetudinem igitur quam omnes in historia habuerunt Græci Latinique scriptores, ut orationes in rerum narratione insererent, tenuit ipse quoque Cæsar in *Commentariis de Bello Gallico,* quippe cum ad eam et superiorum exemplis et suæ utilitatis studio curaque deduceretur. Consentit quidem plerisque rebus ejus ratio cum ceterorum more, neque rursus omnino eadem est. Qua enim Cæsar reliquarum rerum sapientia peritiaque per omnem vitam præstitit, illa in ea quoque re est usus, et acutissime perspexit quid usitatæ consuetudinis retinere liceret, quid novum ac peculiare afferre deceret. Præterea confirmat hæc operis pars optima, quæ ad nos pervenerunt, de Cæsaris eloquentia antiquitatis judicia, et, ut callidi viri sollertiam luculente declarat, ita egregii oratoris ingenium, attenuata quidem consulto atque obliqui sermonis quasi tenebris plerumque obscurata, sed pulchra tamen ac nobili imagine indicat.

VIDI AC PERLEGI,
LUTETIÆ PARISIORUM, IN SORBONA,
A. D. VII KAL JANUAR. ANNI MDCCCLXXXIX,
FACULTATIS LITTERARUM
IN ACADEMIA PARISIENSI DECANUS,
A. HIMLY.

TYPIS MANDETUR.
ACADEMIÆ PARISIENSIS RECTOR,
GRÉARD.

INDEX RERUM